MASTER NEGATIVE NO. 91-80229-16

AUTHOR:

HORKEL, JOANNES

TITLE:

EMENDATIONES JULIANEAE

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1841

Master Negative #

91-80229-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Horkel, Johann, 1820-
Emendationes Julianeae. Dissertatio...quam...defendet Joannes Horkel... Berolini, typis Julii Sittenfeld, 1841.
54 p. 19½ cm.

Thesis, Berlin, 1841.


Volume of pamphlets


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.12.91 INITIALS U.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

EMENDATIONES JULIANEÆ.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERS. LITT. FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

D. XXIV. M. SEPT. A. MDCCCXLI

HORA I.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES HORKEL

BEROLINENSIS. SOC. GR. LIPS. SOD.

ADVERSARII ERUNT:

H. ADLER, PHIL. DD.
G. BOEGER, PHIL. DD
H. BONITZ, PHIL. D. IN GYMN. LEUCOPH. SUPP. ORDD. PRAEC.

BEROLINI

TYPIS JULII. SITTENFELD.

MAURICIO HAUPTIO

S.

Saepe jam mirati sunt viri docti philologos veterum scriptorum tam iniquos interdum judices exstitisse, ut illos, qui neque rerum gravitate neque dicendi arte se commendarent et, si non infimo, mediocri certe loco habendi esse viderentur, summa arte emendatos et doctissimis commentariis instructos ederent, alios, his longe praestantiores, ita negligerent, ut vix cum fructu nedum cum voluptate legi possent. Querelam saepe jam auditam de Juliano dicturus meo mihi jure repetere videor.

Scio diversas admodum de libris, quos ille nobis reliquit, latas esse sententias, sed aliae, ut mihi quidem videtur, nimiae sunt in laudando, aliae in vituperando, quare, si tuto ire velimus, media quaedam via ingredienda erit. Non nego multa in iis inesse, quae digna sint vituperatione. Saepe justam rerum et verborum dispositionem ita ille neglexit, ut vagam ejus vitam in ipsis scriptis expressam deprehendere tibi videaris, saepe legenti in mentem veniunt, quae ipse de se dixit Imperator,*) πάντα ἀθρόα ἔπεισί μοι

---

* Ep. 38. p. 414. A. Spanh.

καὶ ἀποκλείει τὴν φωνὴν ἄλλο ἄλλῳ προελθεῖν οὐ συγχωροῦν τῶν ἐμῶν διανοημάτων, multus interdum est in minutissimarum rerum expositione, ludit in conjungendis vocibus similiter ad aures cadentibus, mire sibi placet in sententiis ita connectendis, ut plerumque verba verbis respondeant; sed ut illa vitia, quae priori loco posuimus, saepe in alacrioris et fervidioris ingenii hominibus deprehenduntur, ita haec, quae proprie ad stilum spectant, omnibus paene illius temporis scriptoribus communia sunt; illa natura haec excusantur consuetudine*). Quae etiamsi ita se habere fatear, negari tamen non potest, ingeniosi ubique viri vestigia in illis libris inveniri, ipsumque Julianum, praesertim si neque doctrinam affectat singularem neque praecipuam quandam dicendi artem, ea saepe uti dicendi simplicitate et elegantia, qua proxime accedat ad praestantissimos Graecae linguae auctores. Accedit aliud. Nam etiamsi ipse illos minime probet qui non tam quid dictum sit curent, quam a quo dictum sit, permittet nobis puto licentiam, ut eadem erga ipsum utamur judicandi clementia, quam omnes omnino experti sunt principes, qui litteris operam dederunt, eaque eo libentius utemur, quo magis non tam Julianus rhetor quam Julianus apostata et imperator, cujus imaginem scripta illa referunt, legentes allicit. Nam quum sincero studio ad summa quaeque tende-

*) Confirmat haec acerrimus Juliani adversarius, Cyrillus Alexandrinus. Hic enim in negligentiorem librorum dispositionem acriter ut solet invehitur (cf. ctra Jul. l. II. p. 38. E. Spanh.) dicendi genus vel invitus laudat (cf. prooem. p. 3. D.)

ret et optima, viam ingressus est non aliorum exemplo monstratam, sed quam ipse sibi elegit. Praematura morte abreptus inchoavit multa, perfecit paucissima, ita ut difficillimum sit perspectu non solum quid ipse interdum secutus sit, sed etiam qua ratione alios ad eundem finem perducere studuerit. Quare quum ad res gestas tantummodo respicientes quaestionem de hominis plane singularis indole et moribus solvere nullo modo possimus, aliorum autem narrationibus aut nulla in talibus aut exigua admodum fides habenda sit, iis, qui certiores de his fieri cupiunt, ad ipsa ejus scripta confugiendum est. Jam si cogitamus Julianum non solum in Byzantini imperii historia locum habere, sed praeterea ad ecclesiae pariter et philosophiae historiam spectare, mirum profecto videbitur eos, qui his studiis operam dederunt, aut raro ipsos fontes adiisse et accurate pervestigasse, aut de emendandis iis tam securos fuisse, ut nunc etiam careamus Juliani editione, quae vel mediocri exspectationi satisfaciat.

Sed si est scriptor in quo appareat verum esse vetus illud dictum, habere sua fata libellos, Julianus is est. Qui omnium optime de eo meruit, Dionysius Petavius, operam ei navavit utilissimam illo tempore, quo excusare se debebat, quod in tali scriptore versaretur.*) Mox quum philosophica studia et historica

*) Juliani Imp. opera. Parisiis 1630. 4°. praef. p. 1. „Juliani imp. impietate ac perfidia quam rebus ceteris notioris opera indigna esse Christiani quae legant existimabit aliquis, nec nostrum de illis consilium probabit.“ Quod iisdem paene verbis seculo et quod excedit praeterlapso Argensius usus est in

ad majorem cogitandi libertatem ingenia excitavissent, quum perventum esset ad illam de praestantia cujusvis hominis recte aestimanda sententiam, quae non patitur ad unius perfecti hominis imaginem vel ad unius temporis rationes varia dijudicari ingenia, sed illum praestantissimum esse docet, qui tempori suo locoque, quo positus erat, vere satisfecerit, nullus paene fructus in Julianum inde redundavit. Neque deerant peculiaria quaedam incitamenta, quae ad novam ejus editionem curandam impellere poterant viros doctos, sed ad irritum ceciderunt omnia. Proximo enim seculo quum apud Francogallos Bleterius*) Julianum a Christianorum opprobriis liberare conatus esset, laudatores quidem invenit et imitatores, ad scriptorem denuo recensendum neminem commovit, neque Gibbonus meliori fortuna usus est, cujus in praeclaro illo libro Julianus non ultimum tenet locum. Mirum id est, quum sciamus Anglos sub finem sec. XVII. minus considerato unius viri de Phalaride dicto adeo commotos esse, ut scriptoris, quem ille laudaverat, non solum avidissime quaererentur exempla, sed nova etiam prodiret editio.**) Apud nostrates duobus maxime temporibus

---

praef. noti libri: défense du paganisme par l'empereur Julien, id vereor ne vanae affectationi tribuendum sit. In trium orationum editione Flexiensi (1614. 8°.) Petavius diserte monuit eas a Juliano Christiano scriptas esse, idque in ipso libri titulo posuit.

*) Laudatus ille a laudato viro. cf. Poésies diverses. Epit. X.

Et Julien passa pour un monstre odieux.
Un Sage après mille ans débrouilla son histoire.
La vérité parut et lui rendit sa gloire.

**) Cf. Leibnitii Ep. in Felleri Otio Hanoverano. p. 72.:

Juliani memoria instaurata est. Quum ante hos centum annos Fridericus magnus, Borussorum rex, avitum conscendisset solium et mox probasset in se quadrare, quae de Theodosio Augusto cecinit Ausonius*):

Bellandi fandique potens Augustus honorem
Bis meret ut geminet titulos, qui praelia musis
Temperat et Geticum moderatur Apolline Martem.

sed a nonnullis Christianae religionis certe non propugnator haberetur, exstitere, qui in Friderico Julianum revixisse clamitarent. Adeo invaluit hoc comparandi studium ut vel in scholis nonnullis publice de ea re a discipulis orationes haberentur, id quod probant programmata, quae dicuntur, illorum annorum. Academias etiam invasisse videtur. Joannes certe Matthias Gesnerus in encyclopaedicis, quas Gottingae habuit, scholis de hoc seculi more suam sibi proferendam esse censuit sententiam. Adscribam verba viri egregii**) quamvis comparationis illius neque totum ambitum neque omnes causas perspexisse et de ipso Juliano minus cogitate judicasse videatur. „Non enim, inquit, magnus fuit philosophus (Julianus) et saepe miratus sum quum ei compararent Frideri-

---

Quand les oeuvres mêlées de Mr. Temple avaient paru, les libraires de Londres furent étonnés de voir que quantité de personnes de l'un et de l'autre sexe cherchaient les lettres de Phalaris, ce qui en produisit une nouvelle édition." Nota est Bentleji et Boylei hinc nata discordia.

*) Epigr. I. v. 5.

**) I. M. Gesneri primae lineae Isagoges in eruditionem universalem. Accedunt nunc praelectiones ipsae per I. N. Niclas. Lips. 1774. tom. II. p. 91. §. 783.

cum M. Borussorum regem, tamquam ei magnum honorem haberent eo nomine. Nempe homines quidam impii et irreligiosi, qui spiritus fortes esse volebant, ut haberent complicem stultitiae et profanitatis suae, vocarunt eum Julianum, quod significare debet contemptorem religionis, quales ipsi erant et quos nunc, more suo, depexos probe dat. Fuit sane maxima injuria. Nam iste erat homo stupidus, si verum dici debet, et absurdus. Contra Fridericus est judicii acutissimi et maximi, et toto coelo differunt, hic sapientia et acumine iste stultitia et stupore." Inutiles esse ejusmodi comparationes nemo negabit, sed qui reputaverit quantam interdum tales seculi opiniones in virorum doctorum studia vim exercuerint, mirabitur illos annos Juliano nihil profuisse. Neque Augusti Neandri liber,*) quo, abjecto partium studio, egregie ostendit, omnia, quae Juliano opprobrio verti solent, ita comparata esse, ut, dummodo aliquid humanae infirmitati condonemus, ex illius temporis rationibus facile et explicari possint et excusari, neque esse, cur obumbrari iis patiamur lucidam alioquin imaginem, probatus ille nobilissimis quibusque ingeniis, eo coronatus est eventu, quo dignissimus videbatur. Ad eandem enim quaestionem denuo tractandam incitavit quosdam, ad ipsum scriptorem denuo edendum neminem, id quod eo majori jure mirabimur, quo magis ille Niebuhrio satisfecit, quum notum sit, quanta hic apud multos in regendis studiis philologicis auctoritate valuerit.

*) Ueber den Kaiser Julianus und sein Zeitalter. Lpg. 1811.

Dixerit fortasse aliquis me rem nimis exaggerasse neque frustra et prioribus et nostro seculo in Juliano operam posuisse Spanhemium, Wyttenbachium, Heusingerum, Heylerum, alios. Non nego id ita esse, sed adversa quaedam fortuna omnibus his conatibus obfuit. Paucis id persequi operae pretium videtur. Et de Spanhemio quidem tot et tam varias viri docti sententias tulerunt, ut longum sit singulas recensere. Quod nuper quidam contendit, eum reipublicae negotiis ita satisfecisse, ut vix credibile videatur eum unquam philologicis studiis vacasse, in veterum libris edendis ita versatum esse, ut eum nunquam e Musei umbra evolasse putaveris, id vereor ne speciosius disputatum sit quam verius. Nondum prorsus solutum erat illa aetate, quod arctius olim inter artem reipublicae regendae et antiquitatis studia intercesserat vinculum, in edendis autem antiquis scriptoribus duplici plerumque ratione usi sunt philologi, illustrabant et explicabant quae impedita, emendabant quae corrupta erant. Doctrinae apparatus subsecivis etiam horis colligi potest, critica ars hoc sibi poscit, ut toti habitemus in illo scriptore, quem emendare conamur. Talis familiaritas ut recte contrahatur continuo opus est tempore, non est igitur cur miremur Spanhemium variis distractum negotiis in arte critica parum felicem fuisse, rectius ingentem viri doctrinam admirabimur. Haec ita sese habere Juliani editio*) satis superque demonstrat, explicat doctissime textui non multum profuit, nam quae bona attulit e Vossianis codicibus compen-

*) Lips. 1696. fo.

savit ea mira quadam negligentia, qua, quae rectissime Petavius correxerat, tamen in mendo cubare passus est. De Argensio nihil dicam, nam is ne adspiravit quidem ad criticam laudem, ad Wyttenbachium transeo. Epistolam hic edidit criticam de Juliano aliisque nonnullis serioris aevi scriptoribus ad D. Ruhnkenium perscriptam, quae quanto plausu excepta sit, vel illud probat quod repetita editione a G. H. Schaefero digna est habita.*) Permulta egregie emendavit, sed id ipsum, si quid video, obfuit ejus operae quod ad Ruhnkenium epistolam dedit. Nam quum criticorum doctissimo commendare se vellet, nimium quoddam studium in colligendis exemplis posuit, maximam partem supervacaneis. Quo colligendi studio nisi aliquantulum ab emendandi proposito abductum eum esse statuamus, vix credibile videtur illum, qui tot menda felicissime emendaverit, etiamsi significet ipse se reticuisse nonnulla, data occasione non multo plura et graviora correcturum fuisse in tam corrupto scriptore. In observationibus, quibus primam Juliani orationem illustravit, raro unius orationis fines transgressus est. Heusingerus intra unius libelli fines constitit idque ejus, qui omnium minime corruptus videtur; iisdem se finibus Harlesius continuit.**) Reiskii observationes, quarum in illo libro mentio fit, qui vitam continet et querelas viri meliori sorte digni***) lucem

*) Lips. 1802. 8°.

**) Caesares uterque edidit. Ejusdem libri edendi consilium cepit F. A. Wolfius. Cf. Körte: Leben und Studien Wolfs. t. II p. 114.

***) J. J. Reiskens eigene von ihm selbst aufgesetzte Lebensbeschreibung. Leipz. 1783. p. 174, 144.

non viderunt, si paucas excipias, quas Wyttenbachius suis in primam orationem commentariis inseruit. Aliorum librorum infelici sorte deterritus et natura proclivus ad anxietatem retinuit eas in scriniis suis donec post ipsius mortem in Suhmianam bibliothecam immigrarent. Dolendum id est, magna enim in hoc quidem scriptore ab eo exspectaveris, non solum propter eximiam, qua valebat, Graecae linguae cognitionem, sed etiam quod versatissimus erat in scriptorum illius seculi lectione. Omnium denique optime de Juliano mereri poterat Heylerus, cui Parisini suppetebant codices,*) sed occasione optima minus recte usus est. Nam quum non criticum solum sed doctum etiam interpretem agere vellet, eatenus quidem recte usus est doctrina, quod diligenter non ipsas solum epistolas paulatim e bibliothecarum latebris protractas sed ea etiam collegit, quae viri docti aliis locis data an arrepta occasione de Juliano monuerant, sed vituperandus est, quod tantopere ei indulsit ut adnotationibus, quarum exigua est utilitas, parvum epistolarum corpus onustum reddiderit, et nimio ostentandae doctrinae studio obcaecatus, non critici solum negotio parum interdum satisfecerit, sed in ridiculos etiam errores inciderit.

Quae quum ita sese habeant, neminem dubitaturum esse confido, quin hodie quoque criticis studiis in Juliano campus apertus sit latissimus, neque ab hac parte excusatione egebit novus emendandi conatus. Scio equidem totum hoc commentationum genus, quod

*) Juliani Imp. quae feruntur epistolae. Gr. et. Lat. ed. L. H. Heyler. Moguntiae 1828. 8°.

in emendandis verbis versatur, legentibus non magnam afferre voluptatem, sed ab utilitate habet commendationem eamque in Juliano eo majorem, quo certius e codicum, quas nunc habemus, collationibus perspicitur, nisi novi inveniantur, nunquam fore ut conjecturis plane supersedere possimus. Ad summum critices finem hac una ratione non perveniri concedo, sed spero fore ut codicum subsidiis instructus ad justam aliquando hujus scriptoris et emendationem accedam et editionem. Quod dum fiat, rogo viros doctos ut benigne hoc emendationum specimen accipiant.

In disponendis singulis ducem sequar virum summum, cujus disciplina frui mihi contigit, Godofredum Hermannum. Hic in praefatione ad Trinummi Plautinae editionem*) „Quattuor, inquit, omnino sunt corruptionis in antiquis scriptoribus genera, lacunae, interpolationes, depravatio scripturae, ordinis denique verborum et versuum turbatio." Quae quam vere disputata sint et per se patet et ex ipso Juliano perspici potest, quamvis, quae ita statuuntur, genera non ubique commode sejungi possint, quum librariorum negligentia uni saepe loco plura et varia vulnera inflixisse censenda sit.

Et lacunae quidem haud rarae sunt in Juliani libris, eaeque magnam partem ita comparatae ut vix a novis codicibus nedum a conjecturis medela exspectari possit. Nolo repetere illas querelas, quas saepe audivimus, de Christianorum, quales primis erant ecclesiae seculis, nimio religionis studio, quo tot antiquitatis monumenta, ingenii humani decora nobis eripuerunt, sed quum non vanae illae sint, nemo mirabitur eos istum *κατάρατον Ἰουλιανόν* (ita audit apud eos) praecipuo quodam odio persecutos esse. Immo meliori ille fato usus est, quam quod exspectare par erat: quamvis enim non dubitem quin nonnulla ejus scripta interciderint, pervenit tamen ad nostram aetatem pars eorum haud exigua. Sed quae non integra deleverunt Christiani, ex iis convicia certe, quibus interdum in impios Galilaeos invehitur imperator, eaque, quae proxime cum his conjuncta erant, resecuerunt. Talium lacunarum suspicio non sententiarum solum conjunctione movetur, sed codicum etiam auctoritate confirmatur.*) De sarciendis iis nemo cogitabit quum ne illud quidem divinari possit, quot omnino verba exciderint.

*) Lips. 1800. p. IV.

Paulo melius res se habet ubi in ipsis codicibus lacunae conspiciuntur. Nam etiamsi ne hae quidem ita semper expleri possint, ut omnis dubitatio supervacanea videatur et inutilis, interdum tamen, praesertim si dicendi usum observamus Juliani proprium, id certe invenire licet quod aut est verum aut ad verum proxime accedit. Exstat talis locus in Orat. II. p. 74 B.*), ubi haec leguntur: *βασιλεῖ δὲ πολλοὶ μέν εἰσιν ἀγῶνες . . . ἀνεγράφη Γερμανοῖς τοῖς ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον πολεμιῶν.* Quae sequuntur, ostendunt Julianum singula nonnulla recensere, quae confirment sententiam initio positam, Constantium multis bellis brevi

*) cf. Heyler. ad Epp. p. 292, 350.

**) Paginas sequor Spanhemianae editionis.

tempore profligatis superasse veterum Graecorum virtutem. Desideratur igitur particula, quae in lacunae loco posita sequentia cum antecedentibus ita conjungat, ut pateat addi generalis sententiae documenta. Qualis illa fuerit divinari, ni fallor, potest, nam quum lacunae spatium*) majus sit quam quod una vocula commode expleri possit, Julianus autem saepissime composita utatur particula *καὶ γάρ* (cf. p. 424 B. 443 C. 453 B.) vix dubito quin ita scribendum sit: *βασιλεῖ δὲ πολλοὶ μέν εἰσιν ἀγῶνες· καὶ γὰρ ἀνεγράφη Γερμ.* sqq.

Alteri etiam loco sollennis ejusmodi formula salutem affert Or. VII. p. 225 B: *τὸ ἐντεῦθεν ἀμαθία, θράσος . . . . ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα.* Saepius apud nostrum enumerationes inveniuntur ad finem non perductae vel in infinitum continuatae (cf. Fragm. p. 301. B. 444 A.), ubique quantum sciam, eodem modo abrumpuntur, additis verbis: *καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα.* Idem nostro loco videtur scribendum esse.

Ludit interdum Julianus in opponendis aut conjungendis vocibus, quarum diversissima et plane contraria est significatio. Saepius et in gravioribus etiam corruptelis ad hanc consuetudinem redeundum nobis erit, nunc proderit nobis in emendanda orat. VII. Ibi p. 226 D. haec sunt: *ἐπειδὴ γὰρ τοὺς μύθους πρὸς . . . τῷ φρονεῖν κἂν ἄνδρες ὦσιν ἢ καὶ τοῖς καθ' ἡλικίαν παιδαρίοις ἀπαγγέλλειν.* Ipsa orationis conformatio priori loco de iis cogitandum esse demonstrat,

*) In minorum lacunarum mensura priores editiones non omni carere videntur auctoritate.

qui, quum virili sint aetate, cogitandi arte et exercitatione pueros non superant. Haec certa sunt: de voce quae supplenda sit, dubitari potest. Amat Julianus diminutivas vocum formas, quae uti olim imminuendis inservirerant notionibus, ita seriori aevo hanc paulatim amisere significationem donec eo perventum est, ut Graeca, qualis nunc est, lingua ingentem contineat talium formarum farraginem misere plerumque depravatarum. In promptu igitur est priori quoque loco *παιδάρια* scribere, nisi forte repetitae vocis sonus auribus minus gratus alteram magis commendet formam *παιδία* et ipsam Juliano usitatam. Alius etiam ejusdem orationis locus una voce addita sanari potest. p. 216 D. haec est codd. lectio: *φανεροῦ δὲ ἤδη γενομένου τίνι καὶ ποίῳ φιλοσοφίας εἴδει καὶ μυθογραφεῖν ἔσθ' ὅτε . . πρὸς γὰρ τῷ λόγῳ* sqq. Scribendum videtur: *ἔσθ' ὅτε προσήκει, πρὸς γὰρ τ. λ. προσήκει* propter sequens *πρός* facile excidere potuit.

Major lacuna elegantem deformat ad Athenienses epistolam. P. 283. A. B. haec exhibet Petavius: *καὶ γράφει τις ἀνώνυμον . . . . ἀστυγείτονά μοι πόλιν,* multo ille Spanhemio cautior, qui nullum prorsus lacunae signum posuit. Verisimile mihi est Julianum ita scripsisse: *καὶ γράφει τις ἀνώνυμον γραμμάτιον καὶ πέμπει εἰς τὴν ἀστυγείτονά μοι πόλιν.* De libello anonymo cogitandum esse constat; ut *γραμμάτιον* scriptum fuisse censeam movet me ipse Julianus, qui paulo post *τὸν τὸ γραμμάτιον ξυγγράψαντα* commemorat, movet Zosimus, accuratissimus harum rerum enarrator et qui saepissime ipsum Ju-

lianum sequatur. Hic enim lib. III. c. 9., ubi eadem narrat, hac quidem voce bis utitur*); *πέμπει* autem illud esse verbum quod maxime hoc loco desideretur, non *διαῤῥίπτει* vel *διασπείρει*, quae e Zosimo assumenda aliquis censuerit, hoc probare videtur, quod apud Julianum sequitur *πρὸς τοὺς Πετουλάντας*. Si accurate Petavius lacunae magnitudinem expressit, quinque nostrae voces spatium bene explere videntur. Minor et minoris momenti lacuna est in Ep. LXIII. p. 453. B. C. Dixit Julianus de patriis legibus ad ipsos deos referendis omnique cura observandis; pergit ita: *οὐ γὰρ ἦσαν οὕτω καλοὶ παρὰ ἀνθρώπων ἁπλῶς γενόμενοι.* Ita edidit Spanhemius: adnotat Heylerus (p. 476.) in ceteris libris hiulce legi *οὐ γὰρ ἦσαν*. Quid Parisini codd. exhibeant non dicit, sed quum priores editores parvae lacunae signum posuerint, codicum videntur auctoritatem secuti esse. Sanatio est facillima, quum ipse verborum nexus voculam deesse ostendat, cujus quum in aliorum scriptorum tum in Juliani codd. frequentissima est omissio. Legendum est: *οὐ γὰρ ἂν ἦσαν οὕτω καλοί.*

Simplici hactenus perfungi nobis licuit conjectura: duplici opus est, ubi codd. lacunarum signa non prae se ferunt, nam et deesse aliquid et quid desit conjiciendum est. Latentiores hac lacunae magnam partem alterius vocabuli, ubi similia duo conjuncta sunt,

---

*) p. 217. ed. Reitem. *καὶ ἀνώνυμα γραμμάτια τῶν στρατιωτῶν ἐν μέσῳ διαῤῥίψαντες, ... ταῦτα τὰ γραμμάτια διεσπαρμένα.*

omissioni originem debent. Quae invenisse mihi videor exempla haec sunt.

Or. VII. p. 290. C. *Τίς γὰρ ἐκ τοῦ μεταδιδόναι τοῖς πέλας ἐγένετο πένης; ἐγώ τοι πολλάκις τοῖς δεομένοις προέμενος ἐκτησάμην αὐτὰ παρ' αὐτῶν πολλαπλάσια.* *αὐτά* non habet in praecedentibus quo referatur, neque placet *προέμενος* sine accusativo positum: alio enim hujus orationis loco p. 305. C. accusativus ex iis, quae proxime praecedunt, facillime suppleri potest. Utrique non solum opprobrio occurrimus, sed conjunctionem etiam verborum lucramur, qualem amat Julianus, si ita scribimus: *ἐγώ τοι πολλὰ πολλάκις* sqq.

Ep. XXXVIII. p. 415 D. *μεγάλους καρποὺς τῶν πόνων ἀποδώσειν φασίν.* Causam haec afferunt eorum quae antea dicta sunt, quare ante *καρπούς* particula *γάρ* inserenda videtur.

Or. VI. p. 194 B. Miratur Julianus bestias finibus se continere a natura constitutis, homines longe majoribus dotibus instructos nihilominus contentos non esse. Quae sequuntur verba: *εἰ μὲν οὖν ἡμῖν ἡ φύσις ὥσπερ τοῖς ζώοις αὐτὸ τοῦτο ἀπέδωκε μόνον τὰ σώματα καὶ ψυχὰς ἐκείνοις παραπλησίας* corrupta videntur. Non intelligitur enim neque unde pendeant, quae inde a *τὰ σώματα* leguntur, quum *ἀπέδωκε* cum *αὐτὸ τοῦτο* conjungendum sit, neque cur ad *σώματα* additus sit articulus ad *ψυχάς* non sit additus. Hinc suspicio mihi nata est excidisse aliquid et ita scripsisse Julianum: *εἰ μὲν οὖν ἡμῖν ἡ φύσις ὥσπερ τοῖς ζώοις αὐτὸ τοῦτο ἀπέδωκε μόνον τὸ σώματα καὶ ψυχὰς ἔχειν ἐκείνοις παραπλησίας.* Sequentia quoque corrupta sunt:

fortasse pro πλέον κτήμασιν πλεονεκτήμασιν scribendum est.

Caess. p. 314 A. in omnibus quod sciam editionibus haec inveniuntur: τούτῳ συνεισέρχεται Πρόβος ἑβδομήκοντα πόλεις ἀναστήσας ἐν οὐδὲ ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτὰ καὶ πολλὰ πάνυ σωφρόνως οἰκονομήσας ἄδικα δὲ πεπονϑὼς ὑπὸ τῶν ϑεῶν ἐτιμᾶτο. Non nego haec explicari quodammodo posse, sed impedita admodum est et cumulata dictio, qualem in Juliano et in illo praecipue libro, qui omnium elegantissime scriptus est, vix et ne vix quidem ferri posse largientur nobis qui norunt ejus quaesitiorem interdum elegantiam. Accedit quod facillimum est remedium et lenissimum, nam si ita scribimus: τούτῳ συνεισέρχεται Πρόβος ὃς ἑβδομήκοντα sqq. facilius multo et concinnius procedit oratio.

Tales omissiones ut explicari possunt et excusari, ita aliae quomodo ortae sint non facile dixeris. In Or. III. p. 119 D haec habent editiones: καὶ τίνα νῦν διαπεραίνειν οἰόμεϑα λόγον εἰ μὴ τῆς φίλης Ἑλλάδος ἔπαινον οὐκ ἔστι μνησϑέντα μὴ πάντα ϑαυμάζειν. Quin desit aliquid nulla est dubitatio: verisimile mihi videtur ita scriptum fuisse: Ἑλλάδος ἔπαινον ἧς οὐκ ἔστι sqq. Una vocula decurtata est in ep. ad Themist. p. 278 C. εἰ μή τί που τῶν λίαν ἐπικινδύνων ἑώρων ἢ δέον γενέσϑαι παρορώμενον ἢ καὶ τὴν ἀρχὴν μηδὲ γενέσϑαι γιγνόμενον. Miror apertissimam corruptelam criticos effugere potuisse: nam et ipsa sententia postulat ut scribamus: ἢ καὶ τὴν ἀρχὴν μὴ δέον γενέσϑαι γιγνόμενον, et Julianeam ita nanciscimur verborum collocationem.

Formula τὴν ἀρχὴν tam usitata est nostro, ut valde mirer Spanhemium in Or. VIII. p. 240 A. non solum perperam eam intellexisse, sed verissimam etiam Petavii interpretationem depravasse. — Similiter ex unius syllabae omissione laborat Or. II. p. 67 B. οἱ δὲ οὐ διαῤῥαγέντος αὐτομάτως τοῦ τείχους ἐνέδοσαν ἀλλ' ἐνίκων μαχόμενοι. Comparat Julianus Graecos, qui ante Trojam pugnaverant, cum Constantii copiis, illos primo statim impetu de moenibus dejectos. esse, has ne rupto quidem muro cessisse. Apertum hinc est negationem οὐ eo loco, quo nunc posita est, ferri non posse et ad verbum ἐνέδοσαν detrudendam esse. Sed non opus est transpositione, dummodo pro οὐ scribamus οὐδέ. Sequens δι fraudi fuit librariis. Aliis etiam duobus locis in negandi particula vitium latere censuerim, altero loco augenda, altero minuenda videtur. Nam in Or. VI. p. 191 B, ubi nunc legitur: οὐκ οὐδὲ εἴ τι Πυϑαγόρας ἔφη sqq., aptius, ni fallor, haec verba arctius conjungemus cum antecedentibus et negandi particulae una syllaba addita scribemus: οὐκοῦν οὐδέ sqq.; in Or. VII. p. 210 A. quum libri habeant: ὥσπερ οὐκ ἐκείνοις συνομαρτούσης ταυτησὶ τῆς ἀπονοίας, equidem scripserim: ὥσπερ οὐ καὶ ἐκείνοις, quae lenissima est mutatio, quum καί et κε eodem paene sono proferantur e recentiori pronuntiandi ratione. — De singulis litteris omissis, quum non tam lacunae sint, quam scribendi errores, postea dicetur.

Transeo ad interpolationes. Duplex earum est genus: alterum et quidem gravissimum ibi conspicitur, ubi aut integri libri suppositicii aut integrae certe sententiae aliorum scriptis interpositae sunt, alte-

rum nihil est nisi scholia et glossemata e margine in ipsa scriptoris verba illata, alterum plerumque consilio debetur, alterum negligentiae. Et illa quidem quaestio, num omnia, quae in Julianeorum librorum corpore leguntur, ab ipso Juliano profecta sint necne, gravis est neque ad liquidum perducta, quamvis de nonnullis recte judicasse videantur Petavius et Heylerus. Sed quum paucis absolvi nequeat, praestabit alia occasione accuratius eam pertractare, quam nova disquisitione emendationum ordinem interrumpere. Pannos Juliano ita assutos, ut interpolatoris consilium appareat, non inveni; sed semel certe genuinis Juliani verbis interposita nonnulla videntur, neque interpolandi consilio tribuenda, neque tamen pro mero explicandi et interpretandi conatu habenda. Disserit Julianus in fragmento, quod dicitur, de rebus ad Deorum cultum spectantibus, occasione data de simulacris etiam Deorum disputat eaque neque per se deos esse contendit neque vero nihil nisi lapides et ligna. Hanc ubi exponit sententiam, (p. 294 B) quae in codd. leguntur: Ἀλλ' οὐκ ἐχρῆν, ὦ πᾶσαν δαιμόνων πληθὺν ἀναστηλώσας τῇ σῇ ψυχῇ, τοὺς κατὰ σὲ ἀνειδέους καὶ ἀσχηματίστους σωματοπλαστεῖσθαι. πῶς δὲ οὐ ξύλα καὶ λίθους νομίσωμεν ἃ χεῖρες ἀνθρώπων ἐμόρφωσαν; ὦ καὶ τῶν λίθων αὐτῶν ἀφρονέστερε, οὕτως οἴει πάντας ἐκ τῶν ῥινῶν ἕλκεσθαι ὥσπερ σὺ παρὰ τῶν ἀλιτηρίων δαιμόνων, ὥστε θεοὺς ἡγεῖσθαι τὰ ἑαυτῶν τεχνουργήματα; num genuina sint, vehementer dubito. Petavii enim sententia, Christianorum haec esse objecta refellendi causa ab imperatore allata, gravibus, si quid

video, obnoxia est dubitationibus. Primum nimia con vitiorum cumulatio male me habet. Scio in Misopogone similia occurrere, sed ibi, quum quae seria sunt jocosis ita intermixta sint, ut Julianus ipse se talibus convitiis petat, minorem ea habent offensionem, praesertim quum orationis forma, qua ibi utitur, vividiores sibi colores poscat. Aliter se habet res in nostro libro. Nam tota haec epistola ad sacerdotem quendam est perscripta, ita tamen, ut non tam privato unius usui, quam communi omnium sacerdotum notitiae destinata esse videatur; est, ut ita dixerim, edictum quasi quoddam praetorium circa sacra. Ab orationis ornatu, quo in aliis etiam edictis utitur, non erat cur in hac epistola abstineret, neque cur diversas Christianorum sententias plane negligeret, sed sedatiori et moderato utendum erat disputandi genere. Sensit id ipse: nam quae paulo post (p. 294 D) leguntur, quantum distant ab his, quae supra exscripsimus. Accedunt alia. Nam ubi aliorum affert sententias, semper fere verbum φασίν aut simile quid addit; neque intelligitur, quomodo propositis tam gravibus convitiis pergere potuerit ἀφορῶντες οὖν, convitiorum nulla ratione habita; multo denique verisimilius mihi videtur, quae leguntur inter illa convitia: πῶς δὲ οὐ ξύλα καὶ λίθους νομίσωμεν ad Juliani pertinere verba: μήτοι νομίζωμεν αὐτὰ λίθους εἶναι μήτε ξύλα, quam haec ad impugnanda illa scripta esse. Dixerit fortasse aliquis, quae p. 295 C. leguntur: οἱ γὰρ ἡμῖν ὀνειδίζοντες τοιαῦτα sqq. ad nostrum spectare locum, sed non est id ita. Nam quum ibi προνοίας divinae et templi Judaeorum diruti mentio fiat, dubitari non potest, quin

haec ad ea, quae p. 294 D. de simulacrorum aeternitate disputantur, referenda sint. Quae quum ita sint, in promptu est conjectura, omnia illa a Christiano aliquo in margine scripta librariorum demum negligentia Julianeis interposita esse. Quodsi quis dubitet, num exercuerint Christiani polemicam artem in librorum marginibus, sciat ille inter Lucianea etiam scholia praeclara hujus artis exempla inveniri. Unum adscribam nostro loco simillimum. Commemoravit Lucianus in libello de morte Peregrini τὴν θαυμαστὴν σοφίαν τῶν χριστιανῶν. scholiastes iratus in margine scripsit:*) θαυμαστὴ μὲν οὖν, ὦ μιαρὲ, καὶ παντὸς ἐπέκεινα θαύματος, εἰ καί σοι τυφλῷ ὄντι καὶ ἀλαζόνι τὸ κάλλος αὐτῆς ἀνεπίσκεπτον καὶ ἀθέατον. — Qui in Julianum tam acriter invehitur, vixit fortasse illis temporibus, quibus gravissimae de simulacrorum cultu controversiae in Byzantino imperio exarserant.

Glossemata latere in scriptore nostro, ii etiam conjicere poterunt, qui ipsum ne semel quidem legerint. Nam si verum est, quod Richardus Bentlejus contendit,**) „antiqua lexica composita imprimis esse ex excerptis e Scholiastis et Glossariis in peculiares auctores,“ facilis est suspicio in tanta librariorum incuria, in illis scriptoribus, qui uberrimam his lexicis messem praebuerint, maximam etiam aut latuisse scholiorum copiam aut nunc etiam latere. Cadit hoc in Julianum: saepe enim Suidas explicationes affert vocum, quae occurrunt apud nostrum, et ita quidem, ut dubitari non

*) Lucianus ed. Schmieder. Hal. 1801. t. II. p. 484.

**) Diss. Phalarid. in Opusc. philoll. p. 13. ed. Lips.

possit, quin e Julianeis scholiis desumptae sint. Usi sunt talibus locis Wyttenbachius et Heylerus; alii etiam data occasione de iis monuerunt, e. gr. Bast. in ep. crit. ad Boissonadium. p. 227. ed. Lips. Suspicionem hinc natam ipsi codices egregie interdum confirmant: nam ut nonnulla scholia ita in textum recepta sunt, ut libri nullam moveant interpolationis suspicionem, ita in aliis ita variant, ut omittat alter, quae in altero non sine dubitatione legimus. Ceterum, quantum ex his reliquiis concludere licet, scholia neque magni momenti fuisse videntur, neque nimis multa, quum non utatur Julianus illo dicendi genere, quod proprie a grammaticis glossematicum dicitur:*) nullum tamen interpretationis genus prorsus neglectum fuisse videtur. Nam quum aut res explicandae sint, aut verba, scholia aut excursus sunt, ut ita dixerim, nominibus additi, sive longiores sive arctis finibus circumscripti, aut singularum vocum explicationes unam interdum vocem pluribus illustrantes, aut exempla afferunt, quibus rarior aliqua forma defendatur et illustretur. Prioris generis interpolationem Wyttenbachius felicissime detexit in ep. XXII. p. 389. C., ubi ea, quibus πανοπλία τῶν πεζῶν et τὸ τῶν οἰκείων σύνταγμα explicantur, sine dubie pro interpretamentis male interpositis habenda sunt. Alterum ego addam exemplum. In orat. VI. p. 200 B. haec edita sunt: ἐντυχὼν δὲ τῷ Χαιρωνείῳ Πλουτάρχῳ τὸν Κράτητος ἀναγράψαντι βίον οὐδὲν ἐκ παρέργου τοῦ μανθάνειν δεήσει τὸν ἄνδρα·

*) Docte de eo disseruit Caelius Rhodiginus Lectt. antt. l. XIII. c. 4. p. 664 ed. Francof. 1666.

οὗτος ἡγεμὼν ἐγένετο Ζήνωνι τῶν καλῶν δογμάτων· ἐπὶ τούτου φασὶ τοὺς Ἕλληνας ἐπιγράφειν ταῖς ἑαυτῶν οἰκίαις ἐπὶ τῶν προπυλαίων: Ε'ίσοδος Κράτητι ἀγαθῷ δαίμονι. Quis, obsecro, posteaquam ad Plutarchum relegatus est Cynicus, quem alloquitur Julianus, minuta ista exspectat additamenta ad rem ipsam minime pertinentia? Optime id cum scholiastae congruit ingenio, quem, ut legentes meliori fortuna uterentur, quam miser ille Cynicus, ea, ob quae illi Plutarchus adeundus est, paucis verbis comprehensa in margine scripsisse haud absonum fortasse fuerit. Suspicionem omnia, quae inde a verbis οὗτος ἡγεμὼν leguntur, spuria esse, confirmat Juliani usus. Amat enim et affectat interdum brevitatis quandam speciem prolixus alioquin scriptor. Hinc ellipticae dictiones, quibus distinctum est largum orationis flumen, hinc abruptae singularum rerum enumerationes, hinc illa ratio, qua proverbiorum, si quibus utitur, prima scribit verba, cetera se omittere ipse monet. Fatebuntur, puto, qui accuratius perpenderint exempla ab Heylero (p. 527) ex una epistola collecta: εἰ δὲ ἀγνοεῖς, ἐπιμελέστερον πολυπραγμονήσω. ἐγὼ δὲ οὐκ ἐρῶ τοῦτο τὰ δὲ ἄλλα ἐκ τοῦ βιβλίου μάνθανε, et quae his sunt similia, haec, si non prorsus eadem, at tam certe similia esse nostro loco, ut haud exiguum conjecturae meae pondus addant. Accedit ipsa dictio: Julianum enim, nimium plerumque in particularum usu, duarum deinceps sententiarum initium ab eodem pronomine (οὗτος, ἐπὶ τούτῳ) sumpturum fuisse particula nulla addita, equidem persuadere mihi non possum. Λέξις εἰρομένη non est elegantiorum seculi quarti scriptorum, sed est

scholiastarum, neque Graecorum solum: nam ut hi pronomine demonstrativo, ita relativo interdum utuntur Romani.*) Utrum illa verba, quae genuina esse negavimus, integra scholiastae ingenio debeantur, an arctior quidam nexus inter ipsa et deperditam illam Plutarchi vitam**) intercedat, nemo facile dixerit. Denique si quis non ipsum solum scholion satis antiquum, sed in textum etiam mature receptum esse contendat, et in verbis: ἐπὶ τῶν προπυλαίων scholii scholion deprehendere sibi videatur, equidem non multum refragabor.

Frequentiora sunt scholia, quibus verba illustrantur, frequentiora vitia inde nata. Ansam emendandi praebet interdum mos ille Juliani, quo sententias ita sibi opponit, ut verba verbis respondeant. Partium hanc aequalitatem ubi turbatam invenimus, nostro jure de corruptione cogitabimus. Est ejusmodi locus in Misopogone. p. 343 B. πεπεισμένος ὡς οὐκ ἔστιν ἰδίᾳ σωφρονεῖν οἴκοι καὶ λάθρα τὸν δημοσίᾳ καὶ φανερῶς ἀκόλαστον εἶναι θέλοντα. Accurate sibi respondent ἰδίᾳ δημοσίᾳ, λάθρα φανερῶς, sed subvertit aequalitatem additum illud οἴκοι. Suspicionem hoc moveret in omnibus omnino scriptoribus, quum formulae ἰδίᾳ δημοσίᾳ, ἰδίᾳ κοινῇ sollennes sint et eadem ubique forma recurrant, sed prorsus non ferendum videtur in Juliano, praesertim quum alibi, ut exspectare licet,

*) e. gr. Schol. ad Pers. Sat. II. v. 27. Bidental, Locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.

**) cf. Fabric. Bibl. Gr. t. III. p. 347. ed. vet.

usitata utatur formula (e. gr. Fragm. p. 302 A.) et communi usui et suo accommodata ingenio. Vix igitur dubito quin οἴκοι ad ἰδίᾳ adscriptum fuerit et in marginem relegandum sit: ἰδίᾳ vocem esse notiorem, quam quae scholio illustrari potuerit, non dicent, qui norint scholia ista serioris aevi, quae saepe nihil sunt, nisi synonymorum collectiones. Nullum quidem ad id inveni locum, quo ἰδίᾳ per οἴκοι explicetur, sed explicatio et per se ferri potest, et commendatur, ni fallor, arcta cognatorum adjectivorum οἰκεῖος et ἴδιος conjunctione. Ita apud Hesychium exstat glossa οἰκεῖα ἴδια, repetita a Phavorino p. 1338 (ed. Basil. 1538), in codd. etiam οἰκεῖος et ἴδιος permutantur. cf. Boissonad. ad Eunap. t. I. p. 440. — Simile mendum simili ratione sanandum est in ep. XXXIV p. 406 A. B. ubi editores Julianum de Proteo haec fecere dicentem: ἐγὼ δέ, εἴπερ ἦν ὄντως σοφὸς ὁ Πρωτεὺς καὶ οἷος (τε?) πολλὰ τῶν ὄντων γινώσκειν, ὡς Ὅμηρος λέγει, τῆς μὲν ὧν ᾔδει φύσεως αὐτὸν ἐπαινῶ, τῆς γνώμης δὲ οὐκ ἄγαμαι. Constans est apud Graecos scriptores discrimen, constans oppositio inter ipsam naturam eaque, quae non sunt naturae: Julianum, oppositionum venatorem, non secuturum fuisse hunc morem et ipsa dictione accurate expressurum parum videtur credibile. Quare, praesertim quum alibi veteres suumque sequatur ingenium (cf. Ep. VIII. p. 377. B. Or. II. p. 94 A. p. 63 C. a.) persuadere mihi non possum, eum hoc quidem loco aptissimam oppositionem otioso turbavisse additamento. Ejicienda igitur censeo verba ὧν ᾔδει et pro scholio habenda ad φύσεως adscripto. Debe-

tur interpretatio praecedentibus verbis, neque tamen bona est, quum alteram tantummodo laudis partem contineat. Commendat conjecturam geminus prorsus locus in ep. XVIII. p. 386 B.: ἐγὼ δὲ ἐκεῖνον μὲν εἰ καὶ τῆς τέχνης ἐπαινῶ, τῆς γνώμης οὐκ ἄγαμαι. Tertium etiam exemplum addam. Miserat Jamblichus Juliano scriptum aliquod, quod quale fuerit ignoratur. gratias agit Julianus suamque aliquam remittit orationem una cum epistola, quae inter editas prima est et quinquagesima. Ibi p. 421 B. haec exhibent codd.: μικρὰ μὲν ἀντὶ μεγάλων τῶν παρὰ σοῦ καὶ τῷ ὄντι χαλκὸν χρυσοῦ ἀντιδιδόντες. Turbat aequalitatem additum παρὰ σοῦ et sapit scholiastae ingenium. Interdum enim, ubi non satis intelligebant librarii quo referenda essent scriptoris verba, suo consilio addiderunt nonnulla, quibus apertiores fierent relationes ipsaque planior exsisteret sententia. Neque id efficiebant nominibus additis, difficilior tum fuisset error, sed induebant ipsius scriptoris personam et pronominibus ἐγώ σύ cet. ita utebantur quasi ipse scriptor loqueretur, non scholiastes. Probant hoc Juliani quoque codices, praecipue Parisinus ille sec. XVI., quem G vocat Heylerus. Exemplo sit Ep. XL. p. 417. C. ubi ille Juliani verbis Ἰαμβλίχου γράμματα temere addit πρὸς ἡμᾶς.

Alii loci alia ratione sanandi sunt.

Ep. XXXIV. p. 406 D. ὥστ' ἔμοιγε δοκεῖ καὶ Ὅμηρος, εἰ ἀνεβίω, πολλῷ δικαιότερον ἂν ἐπὶ σοὶ ἐκεῖνο τὸ ἔπος αἰνίξασθαι, τὸ

Εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέϊ πόντῳ.

Mire plerumque variant codd. in illis locis, qui in interpolationis suspicionem veniunt. Quare quum unus tantummodi Heyleri codex verba exhibeat qualia exscripsimus, in duobus ἐκεῖνο desit, unus, si accurate ille dixit, omnia inde ab ἐπί usque ad αἰνίξασθαι omittat, recte, ni fallor, hic quoque Juliano suam restituo consuetudinem, qua poëtarum verbis, ubi extra orationis nexum posita sunt, simplicem praefigere solet articulum (cf. Misop. p. 348 D. Fragm. p. 291 B, ubi Petavius recte τοῦ conjecit, ad Themist. p. 260. C. a.). Cetera scholiastae, haec Juliano tribuenda videntur: ὥστ' ἔμοιγε δοκεῖ καὶ Ὅμηρος, εἰ ἀνεβίω, πολλῷ δικαιότερον ἂν ἐπὶ σοὶ αἰνίξασθαι τὸ

Εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέϊ πόντῳ.

Homericorum versuum commemoratio aliud etiam vitium peperit in Or. II. p. 51 B. Laudat Julianus notissimos versus de sceptro Agamemnonis, ita: ἔστη σκῆπτρον ἔχων. τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων καὶ ἔδωκε Δίι, ὁ δὲ τῷ τῆς Μαίας καὶ ἑαυτοῦ παιδί· Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκε ὁ δὲ Πέλοπι. Ἑρμείας δέ et ὁ δέ conjuncta ferri non possunt, utrum delendum sit non dixerim. Etiamsi enim repetitum ὁ δέ minus gratum sit auribus, ferri tamen potest, et facile, si in unius libri margine totus Homeri locus exscriptus erat, poëtae verba inde assumi poterant. Saepe, quod cursim adnotabo, poetarum verba ita solutae orationi intermixta sunt, ut difficilis sit distinctio. De plerisque recte judicatum esse videtur, de or. IV. p. 132 C nihil, quod sciam, adnotatum est. Quamvis enim editionum lectio ἀκτὶς ἡλίου nullam habeat offensionem, tanta tamen est cod. Vossiani auctoritas ut minus

solita, quam ille habet, forma ἀελίου pro vera et genuina habenda sit. Respicit fortasse Julianus ad Sophocleum illud: ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανὲν Θήβᾳ τῶν προτέρων φάος (Antig. v. 100 sqq.), quod ideo non negligendum duxi, quia in dubitationem vocata est loci illius lectio, illaque ratio, quam Godofredus Hermannus iniit, novum hinc nancisci videtur praesidium.

Fragm. p. 292. D. Κἀκεῖνο δεξιὸν ἐννοεῖν ὅσοι παρὰ τῶν ἔμπροσθεν ἀνάλωνται λόγοι περὶ τοῦ φύσει κοινωνικὸν εἶναι τὸ ζῶον τὸν ἄνθρωπον. Delendus est articulus ante ζῶον cf. Or. VI. p. 201. C. ὅσον, οἶμαι, ξυνίεσαν φύσει κοινωνικὸν καὶ πολιτικὸν ζῶον τὸν ἄνθρωπον εἶναι. Praeterea pro κἀκεῖνο δεξιὸν scribendum videtur: κἀκεῖνο δ' ἄξιον. Sensisse id videtur interpres.

Ep. LIII. p. 439 A καὶ μήτε ἡμῖν εἶναι μηδέπω παρ' αὐτὸν ἐλθεῖν μήτε αὐτῷ παρ' ἡμᾶς ἥξειν ἐξεῖναι. Parum eleganter procedere sententiam et in fine praecipue claudicare nemo negabit. Ipse etiam Juliani usus nos prohibet quominus in codd. lectione acquiescamus. Ponit enim praecipuam quandam diligentiam in sententiis apte et eleganter terminandis, et semper, quod sciam, ubi duae sententiae ita conjunctae sunt, ut in utraque aut idem verbum repetendum fuerit aut duo ejusdem significationis conjungenda, in priori tantummodo verbum posuit, recte id in altera facile suppleri posse nimiamque perspicuitatem interdum vi et gravitati orationis officere ratus. Accuratior talium locorum contemplatio, quales sunt Caess. p. 321. D ἀλλὰ ἀναγκάζεις με λέγειν ὅπως (σύ?) μὲν ἐχρήσω

πικρῶς Θηβαίοις, ἐγὼ δὲ τοῖς Ἑλβετίοις φιλανθρώπως, ibid. p. 320. D: οὗτος ἅπαξ ἐπεραιώθη τὸν Ἴστρον, ἐγὼ δὲ δεύτερον τὸν Ῥῆνον, aliique permulti, satis, si quid video, suspecta reddunt extrema duo verba ἥξειν ἐξεῖναι. Accedit ipsa dictio. Nam ut largiar potuisse fortasse in altera etiam sententia repeti veniendi verbum, ridicula paene est repetitio εἶναι, ἐξεῖναι: temporum etiam mutatio habet quo offendat. Ejicienda igitur censeo verba, quae in suspicionem vocavimus; scholiastes ad εἶναι adscripsit ἐξεῖναι et ex hoc demum interpretamento nescio quo errore ἥξειν ortum est, id quod non incredibile videbitur iis, qui sciunt, quot errorum causa longarum et brevium vocalium confusio exstiterit.

Ep. XXXIV. p. 407. B. ὑφ' ὁμοίαις εὐχαῖς εἰς τὸ ἀκρότατον βίου γῆρας ἐπ' εὐδαιμονίᾳ τῶν ὅλων παραπεμφθῆναι. Hanc priorum editionum lectionem Heylerus e Parisinis codd. ita immutavit: εἰς τὸ ἀκρότατον τοῦ γήρως. Recte sane haec procedunt, neque quidquam nos impedit quominus Julianum ita scribere potuisse censeamus, quamvis alius locus ep. II, qua defendere suam mutationem Heylerus studuit, εἰς τέλος ἄχρι γήρως nihil ad rem faciat. Fateor tamen ea mihi admodum esse suspecta. Nam mira illa, qualis apud Spanhemium est, lectio βίου γῆρας habet suam auctoritatem. Exhibet illa verba Heyleri cod. A, ineunte seculo XV scriptus, Baroccianus, praestantissimus denique liber Vossianus, ita ut temerarium videatur, his prorsus neglectis, avide ea arripere, quae in tribus codd. leguntur, quorum unus sub finem sec. XV, ceteri Sec. XVI. exarati sunt. Licet jam, ni fallor, du-

bitare anne correctori fortasse debeantur planiora illa et faciliora. Amplector hanc sententiam et rem ita explico. Julianus haec scripsit: εἰς τὸ ἀκρότατον τοῦ βίου, adscripsit his scholiastes γῆρας, plane ut est in vett. edd., nisi quod addendus est articulus. Parum enim verisimile videtur, si genuina et antiqua lectio haec fuisset: εἰς τὸ ἀκρότατον τοῦ γήρως, quemquam illud βίου additurum fuisse; γῆρας contra apta est et vera explicatio formulae, quam nos Juliano vindicavimus. Neque vero, quod contendere aliquis possit, e praecedenti βίῳ βίου temere descendisse putandum est, quum repetitionis nulla prorsus causa inveniri possit. In epistola etiam quarta et vigesima correctoris manum deprehendere mihi videor. Est ea ad Sarapionem perscripta, neque invidebimus ei honorem: est enim ineptissima propter quaesitam et operosam elegantiam in argumento futilissimo. Laudat Julianus ficos, easque, quum omnium omnino fructuum principes sint, circa Damascum ita provenire dicit, ut se ipsas superare videantur; hinc duplicem iis laudem conciliari. Audiamus ipsum (p. 392. B.): τοιαύτην δὲ ἔχον οἶμαι τὸ σῦκον τὴν φύσιν πολλῷ κρεῖττόν ἐστι παρ' ἡμῖν τὴν γένεσιν· ὡς εἶναι τῶν μὲν ἄλλων φυτῶν αὐτὸ τιμιώτερον, αὐτοῦ δὲ τοῦ σύκου τὸ παρ' ἡμῖν θαυμασιώτερον, καὶ νικᾷν μὲν αὐτὸ τῶν ἄλλων τὴν γένεσιν, αὖθις δὲ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ παρ' ἡμῖν ἡττᾶσθαι καὶ τῇ πρὸς ἑκάτερον ἐγκρίσει πάλιν σώζεσθαι, κρατοῦν μὲν ὡς εἰκὸς, οἷς δ' αὖ κρατεῖσθαι δοκεῖ πάλιν ἐς τὸ καθόλου νικῶν. Ferri haec posse non nego: sed est ea correctionum natura, ut aut non animadvertantur aut praeferantur genuinis. Suspicionem movet cod.

Voss., qui non νικῶν habet sed νικῶντι. Accedit huc auctoritas haud contemnendi codicis A: hic enim non solum νικῶντι, sed pro κρατοῦν etiam κρατοῦντι exhibet. Quare quum illi codices, quorum primaria est auctoritas, tertium casum ponendum esse doceant, sequi eos non dubitabimus. Quo facto, quae antea explicari posse videbantur, intelligi non possunt. Sed una vocula deleta, una leniter mutata, perspicua fiunt omnia. Ita scribendum esse existimo: κρατοῦντι μὲν ἐοικὸς, οἷς δ'αὖ κρατεῖσθαι δοκεῖ πάλιν ἐς τὸ καθόλου νικῶντι. Rarior quidem est haec formula quam illa ὡς εἰκός, sed alibi etiam apud nostrum occurrit: altera quo frequentior est, eo facilior fuit correctoris error, qui Julianum se ex ipso Juliano emendare posse putabat. ἐοικός scripsi, non, quod simplicioris mutationis causa praeferendum aliquis censuerit, εἰκός *), quia Juliani usus hoc sibi postulabat.

Significavi supra esse peculiare scholiorum genus non verborum significationi explicandae, sed ipsis verborum formis analogia illustrandis destinatum. Male de hoc genere tacuerunt, qui in Juliano versati sunt: nam unus certe locus labem inde contraxit gravissimam. Ep. XL. p. 419 B editiones et Heyleri codd. haec habent: οὐδὲ γὰρ ὁ Ἀσκληπιὸς ἐπ' ἀμοιβῆς ἐλπίδι τοὺς ἀνθρώπους ἰᾶται, ἀλλὰ τὸ οἰκεῖον αὐτοῦ φιλανθρώπευμα καθάπερ μάθημα πανταχοῦ πληροῖ. Heylerus: inepta, inquit, comparatio. Non est adeo inepta, dummodo recte explicetur et scholiastae tribuatur, non Juliano. Nam Petavii quidem interpretatio „humanitatem suam tanquam

*) εἰκὼς Ἀττικῶς, ἐοικὼς Ἑλληνικῶς. Moeris.

disciplinam aliquam in omnes homines explicat", tantum non ridicula est, sed si reputaverimus φιλανθρώπευμα formam esse rariorem et delectari omnino Julianum verbis in μα desinentibus, (λειτούργημα, ἀσέβημα cet.), non vituperabimus scholiastae consilium, qui, ut lucem afferret insolitae formae, in margine scripsit: καθάπερ ΜΑΘΗΜΑ, sed librarios vituperabimus, qui abusi sunt scholio ad evertendam totius loci sententiam.

Venio ad illud corruptionis genus, quod, ut omnibus omnino scriptoribus, ita Juliano quoque, si non gravissima, at plurima certe inflixit vulnera, depravationem dico scripturae. Non dubito contendere, nunc etiam post praeclaras VV. DD. curas tot hujus generis menda in eo latere, ut, si singula omnia afferre vellemus, liber scribendus esset, non commentatio: praestabit igitur percurrere, quae gravissima videntur, non tam ad emendationum multitudinem, quam ad ipsam emendandi rationem respicientes. Incipiamus ab illis corruptelis, quarum causa fuit recentior pronuntiandi ratio. Constat ex hujus legibus litterarum η, ι, υ, ει, οι; αι, ε discrimen esse paene nullum. Quam consuetudinem quum sequerentur librarii, toties erraverunt, ut certissimum sit, codicum, recentiorum praecipue, in distinguendis ejusmodi syllabis exiguam esse auctoritatem. Hoc si observamus, nonnullorum certe locorum in promptu erit emendatio.

Misop. p. 338 A. εἶναι γάρ, οἶμαι, συμβαίνει τοῖς φαύλοις τὴν μουσικὴν λυπηροῖς μὲν τοῖς θεάτροις φύσεις δ'αὐτοῖς ἡδίστην. Ita hunc locum exhibet Petavius, Spanhemius ultima verba ita mutavit: φύσει δ'αὐτοῖς

ἡδίστοις. ἡδίστοις verissimum videtur, de ceteris num integra sint vehementer dubito. Non quaeritur enim natura sibi jucundi sint mali cantores necne, sed simpliciter dicitur eos aliis molestos, sibi esse jucundissimos; quare suspectam vocem ita corrigo: *λυπηροῖς μὲν τοῖς θεάτροις σφίσι δ᾽αὐτοῖς ἡδίστοις.*

Fragm. p. 300 D. *πρέποι δ᾽ἂν ἡμῖν ἡ φιλοσοφία μόνη καὶ τούτων ἡ θεοὺς ἡγεμόνας προστησαμένη τῆς ἑαυτῶν παιδείας*. Etiamsi largiar pronomen *τούτων* plurali numero positum referri quodammodo posse ad varia philosophorum systemata audacius variarum philosophiarum nomine insignita, quamvis ne hoc quidem satis probabile videatur, nego et pernego sequens *ἑαυτῶν* cum singulari *ἡ προστησαμένη* ullo modo conciliari posse. Ni fallor e *φιλοσοφία* philosophorum notio repetenda et ad hos utrumque pronomen referendum est. tum lenissima mutatione ita erit scribendum: *καὶ τούτων οἱ θεοὺς ἡγεμόνας προστησάμενοι τῆς ἑαυτῶν παιδείας*. Interpres callide vitavit difficultatem.

Ep. XXIV. p. 393. A. Supra jam emendavimus laudes, quibus ficos exornat Julianus: in eodem argumento hic quoque versatur. Dicit de iis haec: *ἀλλὰ καὶ τράπεζαν βασιλικὴν κοσμεῖ καὶ οὔτε ἔνθρυπτον οὔτε στρεπτὸν οὔτε νεήλατον οὔτε ἄλλο καρυκείας γένος οὐδὲν ἔσται ἥδυσμα ἶσον ἢ ἀφίκοιτο*. Neque ipsa particula *ἤ* intelligi potest, neque quid sequens sibi velit Optativus. Plana fiunt omnia si ad Itacismi leges pro *ἢ ἀφίκοιτο εἰ ἀφίκοιτο* scribimus, quae quomodo explicanda sint e praecedentibus patet, ubi Julianus ficum Damascenam *τῷ τῆς ἐμπορίας νόμῳ πανταχοῦ διαβαίνειν* dixit.

Or. III. p. 114 B. *ἢ εἰ δή τις ἄλλη . . . . . ἐνεποίησε τῷ γήμαντι.* Quid particula *εἰ* hoc loco significet, non video. Ni fallor, *εἰ δή* in *ἤδη* mutato, tota sententia pro interrogatione habenda est.

Or. VI. p. 183 C. *ἐπιὼν δὲ αὖθις τὰς ἀρχὰς τοῦ σώματος σκέψαιτο.* Quum futura antecedant, futura sequantur, optativus ferri non potest. Scribendum videtur *σκέψεται.*

Or. VII. p. 208 A. *καὶ ἀποφύγῃ τὸ προσλαβεῖν τι παρὰ τοῦ ὠνησαμένου κακόν.* Miror lectionem *ὠνησαμένου*, quae ineptissima est, quum neque dominorum neque servorum ulla fiat mentio, tamdiu tolerari potuisse, praesertim quum egregius ille cod. Voss. *ὀνηναμένου* exhibeat, unde facillime et mutatione paene nulla *ὀνιναμένου* effici potest.

Or. II. p. 98 A. *τοῖς ἔμφροσι δὲ βεβαίως τὸ θαρσεῖν ὑπὲρ τῶν μειζόνων ὅταν ἐν τοῖς ἐλάττοσιν αὐτοὺς διαταράττειν παρέχῃ.* Caret sententia finito, quod dicitur, verbo. Hanc ob causam, et ut accuratius haec sententiae pars priori respondeat, ita scripserim: *τὸ θαρσεῖν ὑπερ̀ τῶν μειζόνων ὅταν ἐν τοῖς ἐλάττοσιν αὐτοὺς διαταράττῃ παρέχει.* Frequens omnino est hoc vitiorum genus in terminationibus vocabulorum: ita in eadem hac oratione p. 58 D *διανοηθῇ δρῴη* non cum Petavio in *διανοηθεὶς δρῴη* sed in *διανοηθείη δρῶν* mutaverim.

Ex eodem hoc fonte plures derivandi sunt errores in una voce *οἶμαι* commissa, quae facillime corrumpi poterat, quum utraque syllaba illas quidem vo-

cales contineat, quae solent in codd. cum aliis permutari. Utitur vel abutitur potius Julianus hoc verbo saepissime. Est enim hic mos seriorum istorum scriptorum, ut, veterum imitaturi elegantiam, sentiant quidem et percipiant eximiam artem, qua illi, particulis aliisque voculis scite interpositis, vel lenissima exprimunt cogitationis et dictionis discrimina, ut interdum ex ipsis verbis non pateat solum, quid dixerit scriptor, sed etiam quo id animo dixerit; sed, in hoc uno omnem paene elegantiam versari rati, ita hac arte abutantur, ut opprimant lectores et nimia elegantia ipsam elegantiam subvertant. Haec nimietas apud Julianum, quum in particularum, tum in hujus verbi usu conspicitur. non est igitur cur miremur, nonnullis locis jam ab aliis emendatis, restare, qui medicina egeant, immo mirabimur non multo plures esse, nisi statuamus vocem, quae in una pagina sexies interdum occurrit, vel negligentissimis librariis ipso usu tam cognitam fuisse, ut paulo rarius in ea erraverint. Duo afferam exempla. Restat tale vitium in ep. XVII. p. 385 A. *τὸ μὲν οὖν πρῶτον εἶναι ἠλίθιον καὶ δουλοπρεπὲς καὶ θεομίσητον.* Infinitivum *εἶναι*, quum non habeat, quo referatur, ferri non posse recte judicavit Wyttenbachius*), et conjecturam proposuit *ἦν καί*, quae per se non mala, tamen improbanda mihi videtur. Nam quum solennis sit in codd. verborum *εἶναι* et *οἶμαι* confusio, multo certius ita scribemus: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον οἶμαι ἠλίθιον* sqq. Miror Heylerum vulgatam lectionem in fragm. p. 296 D. a verissima Petavii emenda-

*) Animadv. ad Or. I. p. 146 ed. Lips.

tione defendere studuisse, quum ipse (ad Epp. p. 374) confusionem istam solennem esse suo jure contendat. — Utramque syllabam corruptam vidimus: alterius corruptio notanda est in Or. VI. p. 201 C., quem locum supra jam emendatiorem exscripsimus. Codd. haec habent; *ἔμελε δὲ αὐτοῖς τῶν ἄλλων τοσοῦτον ὅσον οἱ μὲν ξυνίεσαν φύσει κοινωνικὸν καὶ πολιτικὸν ζῶον τὸν ἄνθρωπον εἶναι.* Particulae *μέν* nihil in sequentibus respondet, neque distinguuntur omnino variae variorum sententiae: recte igitur me facturum spero, si *οἱ μέν* in *οἶμαι* mutabo. Variant interdum codd. inter *οἱ μέν* et *οἶμαι.* cf. Jacobs ad Achill. Tatium p. 727 (p. 93, 28)

Haec verbi collocatio, qua indicativis nudum interponitur, solita est et vulgaris, verumque est, quod scholiastes Philostrati, quem Boissonadius edidit*), praeceptum proposuit: *τὸ οἶμαι ὅτε συντάσσεται μετὰ ὁριστικοῦ ῥήματος νοεῖται τὸ ὡς ἔξωθεν.* Sunt quidem in Juliani libris loci, sed paucissimi, ubi non simplex *οἶμαι* sed *ὥσπερ οἶμαι* interpositum esse videatur, neque satis ad id mihi liquet, num omnes in suspicionem vocandi sint: at hoc certe patet, hanc rationem non debere iniri, ubi sufficit altera. Notandus est hoc nomine Petavius. In Misopog. p. 350 A haec suppeditant codd.: *οἱ δὲ ἐν τέλει τῆς πόλεως ἀμφοῖν μετέχοντες ταῖν ζημίαιν, ὥσπερ οἶμαι πρότερον ἔχαιρον διχόθεν καρπούμενοι τὰς ὠφελείας καὶ ὡς κεκτημένοι καὶ ὡς καπηλεύοντες, τανῦν εἰκότως λυποῦνται δὴ ἀμφοτέρων ἀφῃρημένοι τὰς ἐπικερδίας.* Ibi

*) Philostr. Heroica p. 610.

quum P. Martinius ὥσπερ οἶμαι „sicut opinor“ interpretatus esset, erravit ipse et transversum egit prudentissimum virum, Petavium. Labat sane sententia, si ita voces conjunguntur, neque mirum est, πρῶτον illud ψεῦδος alterum procreasse. Petavius enim, ut constructioni succureret, verba ταῖν ζημίαιν prorsus ejicienda censuit: sed neque probabilis admodum, neque necessaria est conjectura. Omnia enim rectissime se habent, si, justa interpunctione restituta, ita scribimus: οἱ δὲ ἐν τέλει τῆς πόλεως ἀμφοῖν μετέχοντες ταῖν ζημίαιν, ὥσπερ, οἶμαι, πρότερον ἔχαιρον . . . . . ταννῦν λυποῦνται.

De pronuntiatione haec sufficiant. Aliud depravationis genus repetitio est, sive unius litterae, sive integrae syllabae. Litterae male repetitae maximam partem tacite correctae sunt ab interpretibus, paucissimae eorum acumen fugerunt. Quae in ep. ad Themist. p. 266 A. leguntur: ἀλλ' οὐκ ἂν φαίην νοῦν ἔχων ἀνήρ, Petavius ita interpretatus est: „atqui nequaquam id sapienti viro dignum esse dixerim“. Male. Aperte altero ν deleto, legendum est: ἀλλ' οὐκ ἂν φαίη νοῦν ἔχων ἀνήρ, plane ut in Or. II. p. 84 C. τούτους δὲ οὐδὲ ἰσχυροὺς ἂν φαίη νοῦν ἔχων ἀνήρ. Et haec quidem oratio et ipsa simili, sed graviori, laborat vitio. Nam quae p. 58 B. leguntur: ὥσπερ δὲ ἔκ τινος ταλαιπωρίας καὶ ἄλλης δυστυχοῦς τῆς σὺν τῷ τυράννῳ βιοτῆς κατάγειν σφᾶς ἠξίου, desiderant interpretem, neque facile invenient. Offendit praecipue ἄλλης: quid si, suspecta voce lenissime mutata, ita scribamus: ὥσπερ δὲ ἔκ τινος ταλαιπωρίας καὶ ἄλης δυστυχοῦς sqq.? Ceterum cavendum est, ne locum in lacunae suspicio-

nem vocemus et repetitum ἐκ desideremus: amat Julianus hoc attractionis genus. Miror Schaeferum, ubi hunc usum illustrat*), exemplis usum esse ex aliis scriptoribus desumptis, quum ipse Julianus satis multa suppeditet. cf. or. II. p. 97 B. ὥσπερ ἐς λιμένα καταφεύγοντες τὴν τούτου δεξιάν. fragm. p. 291 D. ἔχομεν δὲ ὥσπερ πρὸς ἀλλοτρίους τοὺς συγγενεῖς cet.

Multo perniciosiores syllabae sunt repetitae. Luculentissimum exemplum exhibet Ep. XLVI. p. 426 D. E: ἔλαττον μὲν ἢ ὥστε ἄνδρα εἰς περιουσίαν ἐννοῆσαί τι μέγα καὶ ἀποφῆναι ὄλβιον. Quod fit interdum in interpretationibus Latinis, ut difficultates callide dissimulentur, nostro loco factum est a Petro Martinio haud malo alioquin interprete. Vertit ita: „Munus est profecto levius, quam ut eo quispiam possit vel de opum abundantia gloriari vel beatum se praedicare.“ Falsissime. ἀποφῆναι activa est forma neque significare potest „beatum se praedicare“; et inaudita est, quam ille proposuit, verbi ἐννοῆσαι significatio. Loquitur Julianus de praedio antea commemorato idque divitem quemquam efficere posse negat. Exspectamus igitur pro ἐννοῆσαι verbum transitivum, quod cum sequenti ἀποφῆναι ad ἄνδρα referendum sit. Non despero id inveniri posse. Nam si statuamus, praepositionem ἐν ex antecedenti ἄν librarii errore originem duxisse, habemus formam νοῆσαι e qua facillime ὀνῆσαι effici potest;**) ita ut haec dicat Julianus: ἔλατ-

*) in adnotatt. ad orat. I. Lipsiensi Wyttenbachii commentationum editioni praefixis.

**) Similis est verissima Petavii conjectura, qua in Or. III. p. 116 C pro ἀνόητον ἀνόνητον reposuit.

τον μὲν ἢ ὥστε ἄνδρα εἰς περιουσίαν ὀνῆσαί τι μέγα καὶ ἀποφῆναι ὄλβιον Minus grave vitium hinc contraxisse videntur haec in Or. III. p. 110 C: *τῇ δὲ ἀνὴρ μὲν οὐδεὶς καλὸς καὶ μέγας ἢ ἰσχυρὸς καὶ πλούσιος ὃς ὑπὲρ τούτων εἰς λόγους ἐλθεῖν ὑπέμεινε*: deleto enim pronomine *ὅς*, facilior longe fit et elegantior sententia.

Arcte cum his erroribus conjunctae sunt falsae verborum et syllabarum divisiones. Exempla non desunt.

Misop. p. 345. D. *οὐδ᾽ ἔστιν οὐδὲν ὅσον τὸν ἄγριον καὶ ἀνήμερον μαλάξει θυμόν.* Ad *οὐδέν* requiritur pronomen relativum, quum indicativi sequantur. diremto igitur illo *ὅσον* et leniter mutato, scribendum videtur: *οὐδ᾽ ἔστιν οὐδὲν ὅ σου τὸν ἄγριον* sqq.

Ep. XLI. p. 421 C. *Πρό σου δὴ καὶ αὐτός τὸν λόγον εὐμενεῖ νεύματι.* Vulgatam hanc lectionem, quum sensu cassa sit, Heylerus ex uno codice G, qui pessimae est notae, interpretis etiam, ut videtur, aliquid tribuens auctoritati, ita mutavit: *πρόσχες δὴ καὶ αὐτὸς τὸν λόγον* cet., idque ita interpretatur: „accipe ante alios“. Parum sane verisimile videtur, Julianum, si hoc dicere voluisset, non additurum fuisse *πρὸ τῶν ἄλλων* vel simile quid, neque recte Heylerus explicuit aoristi illius significationem. Denique quis interpolato isti codici fidem habebit, quum alii libri idem omnes exhibeant, idque tale, ut, mutatione paene nulla, elici inde queat idem, quod scripsit Julianus. Haud dubie legendum est: *πρόσσου δὴ καὶ αὐτὸς τὸν λόγον εὐμενεῖ νεύματι.* Verbo *προσίεσθαι* nihil Juliano est usitatius Hoc divinasse videtur interpres, qui „accipe“ habet, non Heyleri illam, quam vocat, emendationem.

Fragm. p. 291 C; *πῶς δὲ ὅταν ἑταίριον θεραπεύων Δία ὁρῶν τοὺς πέλας ἐνδεεῖς χρημάτων, εἶτα μηδ᾽ ὅσον δραχμῆς μεταδιδούς, οἴεται τὸν Δία καλῶς θεραπεύειν.* *ὅταν* inter mera participia positum ferri nequit, reponendum est: *πῶς δὲ ὁ τὸν ἑταίριον* sqq.

A multis jam observatum est negligentiores librarios, ubi verba inveniebant e verbo simplici et duabus praepositionibus composita, alteram interdum praepositionem omisisse. Uno, ni fallor, loco ipsi codd. duplicis compositionis vestigia tenent. In ep. XX. p. 388 B vulgata lectio est: *εἰ δὲ χρή τι καὶ ἐπεύξασθαι*, duo codd. Parisini habent *προσεύξασθαι*. si utraque lectione conjuncta *προσεπεύξασθαι* scribemus, proxime accedemus ad cumulatiorem Juliani elegantiam.

Magnus est locorum, qui, quod supra saepe factum esse significavi, e brevium et longarum vocalium permutatione labem contraxere, numerus et facilis fere semper emendatio. Quare de iis tacebo, quae perspexit interpres, de paucis tantummodo locis dicturus, ubi aut parum liquet, quid ille senserit, aut errasse eum patet. Versantur omnes in litteris *ο* et *ω* discernendis.

Or. II. p. 99 B. *πολλῶν δὲ τυχὸν ἀληθῶς ἐνόχων ὄντων ταῖς περὶ αὐτὸν ὑποψίαις.* Quam impedita sit haec lectio, Petavius nos docebit, qui mire se torquet in interpretando. Vertit ita: „itaque, quum multi forsitan vere de iis, de quibus erant suspecti, contra se perpetratis essent obnoxii.“ Quanto facilior fit sententia, si scribimus *ταῖς περὶ αὐτῶν ὑποψίαις.*

Or. III. 125 A. *λόγων γὰρ ἀστείων καὶ παντο-*

δαπῶν θησαυροὺς τῶν ἐν ταῖς βίβλοις δεξάμενον. Repone τὸν ἐ. τ. β. δ.

Fragm. p. 302 B. ὡς τάγε ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὅσα πάτριος διαγορεύει νόμος, φυλάττειν πρέπει καὶ οὔτε πλέον οὔτε ἔλαττόν τι ποιητέον αὐτόν. Petavius αὐτοῦ conjecit, idque ad νόμον retulisse videtur. Praestare mihi videtur alia mutatio certe non violentior et melius, ni fallor, inchoatam continuans constructionem: καὶ οὔτε πλέον οὔτε ἔλαττόν τι ποιητέον αὐτῶν. In sequentibus ἀΐδια γάρ ἐστι ταῦτα τῶν θεῶν ὥστε καὶ ἡμᾶς χρὴ μιμεῖσθαι τὴν οὐσίαν αὐτῶν Petavius ἀΐδια rectissime mutavit in ἴδια, neque tamen satisfacit haec una conjectura. Nam quum Julianus ea, quae ad cultum spectant deorum, ideo mutationibus obnoxia esse nolit, quod ipsi dii aeterni sint, exspectamus adjectivum ad οὐσίαν additum, quo accuratius designetur haec divinae naturae proprietas. Hinc suspicio mihi nata est, Julianum fortasse ita scripsisse: ἴδια γάρ ἐστι ταῦτα τῶν θεῶν ὥστε καὶ ἡμᾶς χρὴ μιμεῖσθαι τὴν ἀΐδιον οὐσίαν αὐτῶν. Conjectura est, non emendatio.

Ep. LIX. p. 444 A. ἢ τοῦτο νομίζεις ὑπὲρ τῶν παλαιῶν ἁμαρτημάτων ἀπολογεῖσθαι πρὸς ἅπαντας, καὶ τῆς πάλαι ποτὲ μαλακίας παραπέτασμα τὴν νῦν ἀνδρείαν εἶναί σοι. Totam exscripsi sententiam, quia aequalis ejus constructio conjecturam desiderare videtur. Nam quum in altera parte Julianus Dionysio exprobret, eum e vana ferocia excusationem petere pristinae ignaviae, mirum profecto esset, si in priori simpliciter dixisset, putare eum se liberari a facinorum perpetratorum odio, neque addidisset, qua potissimum re ille id effici posse putaret. Quare quum τοῦτο cum

νομίζεις conjunctum admodum languidum sit, nihil, puto, obstabit conjecturae, qua ἢ τούτῳ scribendum esse existimo. τούτῳ quid sit e praecedentibus patet.

Ep. LXI. p. 449 B. οὐδὲν οὕτω λυπηρὸν οὐδὲ δυσχερὲς ἐμαυτῷ συμβεβηκέναι φαίην ἂν ἢ ὅτι σὲ τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων ἀγαθὸν ἐπὶ τοσούτῳ χρόνῳ τὴν ἑῴαν ἀπολείπων οὐκ εἶδον. Heylerus e codicis Constantini Lascaris manu exarati auctoritate ἀπολιπόν scripsit idque ad Jamblichum refert, quippe qui τὸ ἀγαθόν appelletur. Mihi non persuasit. Vix enim credo, Julianum participium ad epitheton potius, quod pronomini additum est, quam ad ipsum pronomen rettulisse, neque commemorat omnino Jamblichi discessum, sibi ab eo discedendum fuisse queritur. In utraque lectione inest particula veri: conjuncta enim utraque ita scribendum est: ἢ ὅτι σὲ τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων ἀγαθὸν ἐπὶ τοσούτῳ χρόνῳ τὴν ἑῴαν ἀπολιπὼν οὐκ εἶδον.

Quam multiplex sit scripturae depravatio, patebit ex iis, quae hactenus disputavimus. Nondum tamen licet consistere. Nam quum in his certae quaedam leges inveniri potuerint, e quibus et depravatio pendeat et emendatio, alii sunt errores permulti, qui ad communia principia revocari non possunt, nisi ad illud, quod omnium maxime est commune, negligentiam. Magna eorum pars e compendiis scripturae obiter inspectis et perperam intellectis originem duxit. Qui corruptissimi mihi visi sunt loci, jam sequantur emendati.

Or. II. p. 81 B. οὐδὲ ἔθνη τὰ πολυτελῆ καὶ ψήφους Ἰνδικὰς καὶ γῆς πλέθρων μυριάδας πάνυ πολλάς. Nemo, ne ditissimus quidem, integras nationes possidet, nedum nationes πολυτελεῖς: neque quid articu-

lus τά sibi velit perspicitur. Mutatione opus est, sed non nimis gravi. Ita scripsit Julianus: οὐδὲ ἐσθῆτα πολυτελῆ καὶ ψήφους Ἰνδικάς sqq.

— p. 52 B. τρεῖς ὑμᾶς τοὺς αὐτοῦ παῖδας προελόμενος ξυνάρχοντας. Scripserim προσελόμενος.

Or. III. p. 115 C. ὡς ὅδε μὲν τὸν πρῶτον δι᾽ ἐκείνην νέμεται κλῆρον. Interpres jam videtur sensisse πρῶτον mutandum esse in πατρῷον.

— p. 118 B. καὶ μὴ πρότερον προσέσθαι μηδὲ ἐνδείξασθαι ψευδῆ καὶ ἄδικον διαβολήν. Amat Julianus synonymorum, negativa conjunctione interposita, copulationem (cf. p. 119 B. ἀφανίσας οὐδὲ ἀναλώσας. p. 120 A. οὐκ ἐφιεὶς οὐδὲ ἐπιτρέπων). Consequitur hinc, nostro loco ἐνδείξασθαι in ἐνδέξασθαι mutandum esse.

— p. 124 B. ἕν γέ τοι πάντως ἕπεται οἷον ἐφόδιον τῆς στρατείας πρὸς αὐτό που πάλαι ξυγκείμενον. Petavii interpretatio „qui ad hoc ipsum accommodate scriptus olim fuerit” probari non potest, quum, si talia cogitasset Julianus, dicendum ei fuisset: πρὸς τοῦτο vel πρὸς αὐτὸ τοῦτο: neque facile quis dixerit, quinam sint illi libri olim, ut inter arma legerentur, compositi. Latet vitium in codd. Nam quum Julianus paulo post libros rerum gestarum imaginem iis exhibere dicat, quibus rem videre non contigerit, facilis est conjectura, eum illos scriptores ceteris anteposuisse, qui rebus, quas narrant, ipsi interfuerint. Haec conjectura parit alteram, Julianum πρὸς αὐτόπτου πάλαι ξυγκείμενον scripsisse.

Or. III. p. 126 A. ὁμολογῶν ἔφη τὸ παρ᾽ ἡμῶν μαθεῖν. Quum verbum μαθεῖν accusativo careat et

articulus τό minime necessarius videatur, pro τό τι scripserim.

Or. VI. p. 188 B. ἀληθείας μὲν ἡ πάντων ἀγαθῶν θεοῖς πάντων δὲ ἀνθρώπων ἡγεῖται. Minus accurate sententiae sibi respondent, praesertim quum vix dubitari possit, quin Julianus diis homines opposuerit. Probabilis igitur est, ni fallor, conjectura mea: πάντων δὲ ἀνθρώποις ἡγεῖται, ipso etiam Juliani usu confirmata. cf. p. 195 C: πάντων ἀγαθῶν ἀνθρώποις ἡγεῖσθαι.

Or. VII. p. 231 D. τί οὖν, εἶπεν ὁ μέγας Ἥλιος, ὅτι σε πάντως χρὴ ἐπανελθεῖν ἐκεῖ; Jussus exspectatur dei, non interrogatio, praesertim quum adolescentulum alloquatur. Hinc suspicor reponendum esse: ἴσθι οὖν, εἶπεν sqq., uti postea eum alloquitur p. 234 C. ἴσθι δὴ σαυτῷ τὰ σαρκία δεδόσθαι. Mire in hac voce erraverunt librarii: assentior enim Petavio et Wyttenbachio, quorum ille p. 223 A. τῷ in ἴστω mutavit, hic p. 110 D. pro ἅτε ἴστω scribendum judicavit.

Or. VIII. p. 242 D. χρηστὸν δὴ (δὲ Pet.) εἴ τι γέγονεν ἤ τι βεβούλευται κοινῇ παρ᾽ ἡμῶν, τοῦτο ἀλλήλοις εἰπεῖν μελήσει. Vitiosa lectio Petavii peperit conjecturam ἐμέλησε. Modestus est Julianus, mala se cum Sallustio consilia iniisse negat: num bona inierit, ipse non audet dicere, sed aliis judicandum relinquit. Legendum igitur est: τοῦτο ἄλλοις εἰπεῖν μελήσει. Eodem modo in longioris vocabuli locum brevius suffecerim in fragm. p. 298 C. Nam, quae ibi leguntur: ἀλλ᾽ ὅπως ἔχῃς ἐγγύθεν διδάσκειν, etsi admittant explicationem, sed duram illam et impeditam, vix dubito quin ita mutanda sint: ἀλλ᾽ ὅπως ἔχῃς ἔνθεν διδάσκειν. In sequentibus pro ἔχειν scribe ἔχεις.

Ad S. P. Q. Atheniens. p. 271 C. ὥσπερ ὂν παρὰ τοῖς Πέρσαις sqq. Petavius conjecit οὖν, rectius puto οἱ scribemus. Eadem haec vocula perperam in οὐ abiit in Or. VI. p. 196 B.

Misopog. p. 370 D. γῆς κλήρους, οἶμαι, τρισχιλίους ἔφατε ἀπόρους εἶναι. Malim ἀφόρους. Divinavit id fortasse interpres.

Ep. X. p. 379 D. 80 A. Τολμᾷ δῆμος ὥσπερ οἱ κύνες ἄνθρωπον σπαράττειν, εἶτα οὐκ αἰσχύνεται καὶ φυλάττει καθαρὰς τὰς χεῖρας ὡς προσάγειν πρὸς τοὺς θεοὺς αἵματος καθαρευούσας. Scripturam sive corruptam esse sive mancam, recte judicavit Heylerus: num jure locum inextricabilem vocaverit, dubito. Vix enim dubitari potest, quin Imperator, externo etiam deorum cultui omni modo prospiciens, Alexandrinis quum propter Georgii caedem iratus fuerit, tum propter preces statim post patratam caedem impuris manibus institutas (cf. Or. II. p. 70 D. 71 A. ταῦτά τοι καὶ ἐπαινοῦμεν τὸν Ἕκτορα σπένδειν μὲν οὐκ ἐθέλοντα διὰ τὸν ἐπὶ τῶν χειρῶν λύθρον). Hoc si tenemus, probabile videbitur, duabus vocibus transpositis, duabus leniter immutatis, Julianum scripsisse: εἶτα οὐκ αἰσχύνεται καὶ φυλάττει τὰς χεῖρας ὡς καθαρὰς προσάγειν πρὸς τοὺς θεοὺς αἵματι καταῤῥεούσας. Suspecta praeterea mihi sunt verba καὶ φυλάττει. Etiamsi enim largiar Julianum, optimorum scriptorum exempla secutum, activo pro medio uti potuisse (cf. Heindorf ad Plat. Gorgiam §. 38.), repugnat id ejus consuetudini. (cf. Or .II. p. 91 D. τὸ παθεῖν τι τοιοῦτο ὀρθῶς φυλάξεται). Rarior ista negligentia frequentius videtur usurpata esse ab infimae Graecitatis scriptoribus*), et redolet particula καί scholiasten, quam saepe a Grammaticis pro ἤγουν positam esse, docuit, ut alios taceam, Bastius in Addendis ad commentat. palaeograph. in Schaeferi Gregorio Corinthio editam p. 893.**). αἰσχύνεται nostro loco aptissime per φυλάττει explicari potuit.

Ep. XXIII. p. 390 A. οὐδὲ τὸ καθ' ἑαυτὸν ὄντα πᾶσι πρᾶον, εἰ καὶ ἐδόκει πολλοῖς τοιοῦτος. Etiamsi πᾶσι quodammodo explicari possit, probabilius tamen mihi videtur, librarium ita scripsisse propter antecedens πᾶσι, nobis πάνυ scribendum esse. Est enim elegans hujus vocis cum negatione conjunctio, elegantior etiam si τι accedat. cf. D'orville ad Charit. p. 477.

---

*) Satis id probare videntur duo exempla e Du Cangii Glossario s. v. φυλάγειν desumpta. Gloss. Graecob. αὐλίζεται. φυλάττει ἢ φυλάττεται ἢ φυλάγεται Barthol. Monachus in elencho Agareni: φύλαγε μὴ ἀποτρίψω τὴν αἰδῶ τῆς ἀνατροφῆς καὶ φονεύσω σε.

**) Diligenter fere semper a scholiastis particularum quarundam discrimina observantur. Ubi verbum verbo ita explicant, ut alterum cum altero permutari possit, aut ipsam tantummodo vocem adscribunt, aut ἤγουν vel καί interpretamento praefigunt; ubi plura verba ita explicant, ut eadem aut paucioribus verbis in margine repetantur aut fusius circumscribantur, τούτεστιν explicationi praemittunt; ubi supplent nonnulla, quae faciliorem reddant ellipticam scriptorum dictionem, δηλονότι addunt. Inveniuntur tamen, quod nemo mirabitur, loci, qui his praeceptis repugnent. Ita ἤγουν ubi τούτεστιν exspectaveris, Philostr. Scholiastes usurpavit. p. 566. Boiss. διά τε τὴν ῥώμην τοῦ εἴδους: ἤγουν διὰ τὴν ἐμφαινομένην ἀπὸ τοῦ εἴδους ρωμην. Contra Suidas s. v. μεταχειρίσαι τούτεστιν habet, ubi communis usus ἤγουν desiderare videtur.

ed. Lips. Similia sunt quae in Or. II. p. 94 A. leguntur: *οὔτι πρᾶος ὢν λίαν τοῖς ἐγγόνοις.* Earundem, quod obiter adnotabo, litterarum confusio mendi causa exstitit in scriptore Juliano inimicissimo, quod nondum correctum esse valde miror. Jac. Tollius in insignibus itinerarii Italici (Traject. 1696. p. 22.) carmen edidit Gregorii Nazianzeni de episcopis. Laudat Gregorius apostolos et miratur, simplices homines libros potuisse componere intellectu difficillimos. Pergit ita:

εἰς οὓς (libros) *λόγος τοσοῦτος αὖθις καὶ πόνος*
ὡς μὲν τὰ πάντα τυγχάνειν πονημάτων.

Tollii conjecturam *ὡς πάντα πλήρη τ. π.* recte tanquam audaciorem improbat A. Neander (der heilige Chrysostomus. vol. I. p. 114 not.), neque tamen satisfacit, quam ipse proposuit, explicatio, quum particulae *μέν* vim et significationem negligat. Mihi Tollius sententiam rectissime perspexisse videtur, sed abstinendum ei erat a tam gravi mutatione eaque prorsus supervacanea, quum in promptu sit, una litterula mutata, ita scribere:

ὡς μεστὰ πάντα τυγχάνειν πονημάτων.

Ep. XXVII. p. 400 D. *ἐκτὸς πάτου γὰρ εἶναι χρὴ καὶ δρᾶσθαι καθ' ἡσυχίαν ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πορευομένων οὐκ ἐπ' ἄλλο τι βασταζόντων τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἱερεῖά τε καὶ ὅσια.* Locus est vexatissimus: nam quum viderent critici, verba, qualia eduntur, intelligi non posse, alias alii vias ingressi sunt. Wyttenbachii conamina recte reprehendit Heylerus (p. 289.), Heyleri non minori jure ego vitupero. Nam quod ad *εἶναι* et *δρᾶσθαι* ex antecedentibus *εὐσέβεια* suppleri vult, fieri non potest: non *δρᾶται* enim *εὐσέβεια*, neque si Julianus *βασταζόντων* pro substantivo haberi voluisset, hoc quidem loco articulum omittere potuisset. Mihi nihil e praecedentibus supplendum videtur, *εἶναι* et *δρᾶσθαι* referenda sunt ad sequentia: *ἱερεῖά τε καὶ ὅσια*, cetera absolute sunt interposita. Sed mendum in iis latet. Pro *βασταζόντων* enim si verbum scribitur Juliano usitatissimum *βαδιζόντων*, perspicua sunt omnia. Additamentum minime necessarium esse non nego, sed facilius utique tolerari potest integra sententia addita, quam si ex Heyleri ratione Julianus ad *αὐτὸ τοῦτο* in eadem sententia *οὐκ ἐπ' ἄλλο τι* pueriliter paene addidisset.

Ep. XXXV. p. 408 D. 9 A. *οὐδὲ* (*οὐ* cod. A.) *γὰρ εἰς χορήγησιν ἀγώνων γυμνικῶν ἢ μουσικῶν οἱ Κορίνθιοι τῶν πολλῶν δέονται χρημάτων, ἐπὶ δὲ τὰ κυνηγέσια τὰ πολλάκις ἐν τοῖς θεάτροις ἐπιτελούμενα ἄρκτους καὶ παρδάλεις ὠνοῦνται. ἅπερ αὐτοὶ μὲν εἰκότως φέρουσι διὰ τὸν πλοῦτον καὶ τῶν ἀναλωμάτων τὸ μέγεθος ἄλλως τε καὶ πολλῶν πόλεων ὡς εἰκὸς αὐτοῖς εἰς τοῦτο συναιρομένων ὠνοῦνται τὴν τέρψιν τοῦ φρονήματος.* In altera hac sententiae parte aperte *πλοῦτος* et *τῶν ἀναλωμάτων τὸ μέγεθος* sibi respondent, ita ut Corinthii propter divitiarum magnitudinem sumptuum etiam magnitudinem facilius tolerare posse dicantur. Hoc si tenemus, illud *ἅπερ*, quod et interpretibus fraudi fuit et editoribus, ferri nequit, quum careat verbo, ex quo pendeat. Nisi omnia me fallunt, lenissima mutatione pronomen *ἅπερ* in particulam *ἀτάρ* mutandum est, rariorem quidem illam apud solutae orationis scriptores, sed quae inveniatur apud nostrum, (Or. III. p. 129 D. *ἀτὰρ δὴ καὶ ἐμαυτόν*). Ita usque

ad ὠνοῦνται omnia rectissime procedunt. Sed in extremis verbis summa inest difficultas, quae quomodo expedienda sit, pro certo non scio. Fortasse omnia illa: ὠνοῦνται τὴν τέρψιν τοῦ φρονήματος, quum antea negligenter omissa essent, in margine scripta temere inde in textum irrepserunt, ita ut alterum ὠνοῦνται nihil sit nisi prioris in margine repetitio. Hoc si verum est, ita scribi potuerit: ἐπὶ δὲ τὰ κυνηγέσια τὰ πολλάκις ἐν τοῖς θεάτροις ἐπιτελούμενα ἄρκτους καὶ παρδάλεις ὠνοῦνται, τέρψιν τοῦ φρονήματος· ἀτὰρ αὐτοὶ μὲν sqq. Incerta haec esse ipse scio.

Ep. XL. p. 418 A. ἐξ ἐκείνου ταύτην ἤδη πρὸς σὲ γεγραφὼς αὐτὸς οὐδεμίαν ἄλλην ἢ τὴν ἐν ᾗ μέμφεσθαι δοκεῖς ἐπιστολὴν ἐδεξάμην. Recensuit Julianus in praecedentibus epistolas, quas dederat ad Jamblichum et quas ille ad ipsum perscripserat. Primam se scripsisse dicit p. 417 A., respondit Jamblichus (ibid. B.), alteram a se scriptam commemorat 417 C. sed deperdita illa est in itinere: aliam igitur certiori nuntio tradidit (417 C.). Rescripsit Jamblichus (ib. D.), quare laetus illico novam ad amicum misit epistolam. Quid est igitur, cur queratur quodammodo de Jamblichi in scribendis epistolis tarditate? Dixerit fortasse aliquis Jamblichum ad ultimam hanc epistolam non rescripsisse. Sed accepit Julianus illam epistolam, qua Jamblichus amicum nihil scripsisse queritur. Quale igitur est meritum quod dicit: ταύτην ἤδη γεγραφώς, siquidem ταύτην ad hanc ipsam tantummodo referri potest epistolam? Neque intelligitur quomodo, dum scribit, perfecto tempore uti potuerit. Nihil omnino

exspectamus, quod de hac littera dictum sit: si jure de Jamblicho queri volebat Julianus, ostendere debebat, se plures scripsisse quam accepisse epistolas, id quod optime efficere poterat numero epistolarum addito. Praeterea illud οὐδεμίαν ἄλλην probat Julianum uni epistolae plures opposuisse; ἤδη etiam numeri notationem poscere videtur. Quae quum omnia pronomen ταύτην suspectum reddant, equidem Julianum scripsisse credo: ἐξ ἐκείνου τρίτην ἤδη πρὸς σὲ sqq. Scripsit Julianus post Sopatri adventum epistolam (p. 418 A.) et tres deinceps alias omnesque, quantum conjicere licet, ἡμεροδρόμοις (417 C.) aut aliis, negligentioribus tradidit cursoribus (418 B.); ipse enim Sopater non videtur statim rediisse. Ita factum est, ut nulla ad Jamblichum perveniret, et negligentiae hic innocentem accusaret amicum.

Ep. LI. p. 434 B. παντὶ δὲ ὁμοῦ τῷ κόσμῳ παρὰ τῶν ἐπιφανῶν θεῶν δεδομένα. Antecedens καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν de continuata, non de perfecta actione cogitandum esse probat: δεδομένα igitur in διδόμενα mutaverim.

Ep. LII. p. 437 A. ὅτι μὴ δικάζειν ἔξεστιν αὐτοῖς καὶ γράφειν διαθήκας καὶ ἀλλοτρίους σφετερίζεσθαι κλήρους καὶ τὸ πάντα ἑαυτοῖς προσνέμειν. Male me habet articulus uni Infinitivo additus, quum ceteri omnes comite careant. Neque tamen prorsus delendus est: rectissime enim se habet, si leniter mutatus ad πάντα referatur, ita: καὶ τὰ πάντα ἑαυτοῖς προσνέμειν.

Ad ultimum me vertam corruptionis genus. Saepe criticos verborum transpositione non ad sanandos scriptores usos, sed abusos esse ad corrumpendos egre-

gie docuit Godofredus Hermannus in commentatione de emendationibus per transpositionem (Opuscc. vol. III. p. 98. sqq.), facilis igitur est conclusio, caute eam in auxilium vocandam esse. Facilior est res in poëtis, si perspecta habemus metra, difficilior in solutae orationis scriptoribus. Sed si in illis versamur, qui liberae Graeciae temporibus et florenti ipsa lingua scripserunt, elegantiae leges aliquatenus sequi licet, quum, quod elegantiae prorsus adversatur, ingenio etiam eorum repugnet. Ad serioris aevi scriptores ubi delabimur, deficit nos hoc adjumentum, quum illi aut parum curent justam verborum collocationem, aut, si curant, non communia sequantur elegantiae et pulchritudinis praecepta, sed sua. Usum istum si observare studemus, tantam interdum deprehendimus inconstantiam, ut non liceat alterum locum ex altero emendare, quum nesciamus, uter pro norma habendus sit. Quare si paucissima tantum hujus generis exempla attulero, gratiam me initurum spero, quod nonnulla certe proposuerim, non in vituperationem incursurum, quod non longe plura. Una vocula sedem mutavit in ep. XXXVII. p. 412 C. *ἐπεὶ δὲ αἴσχιον ἡγοῦμαι πρὸς ἄνδρα τοὺς ἄλλους νουθετεῖν εἰδότα ποιεῖσθαι λόγους οἷς χρὴ τοὺς μὴ εἰδότας σωφρονεῖν καὶ παιδεύειν.* Interpres: „Nunc vero, quoniam turpe videtur ad eum, qui caeteros docet, ea uti oratione, qua indoctos lenire ac erudire consuevimus". *νουθετεῖν εἰδότα* e codd. recipiendum esse vidit Heylerus, in ceteris caecutivit. Quis enim feret interpretis explicationem? quis credet *σωφρονεῖν* hoc uno loco transitive usurpatum esse, quum alibi semper intransitive ponatur, et *μὴ εἰδότας*

„indoctos" significare, non addito Infinitivo, quo numquam caret? Omnia haec incommoda evanescunt, si una vocula *καί*, quo posita est loco, deletur et ante *τοὺς ἄλλους* collocatur: nemo enim negabit, ita rectissime procedere orationem: *ἐπεὶ δὲ αἴσχιον ἡγοῦμαι πρὸς ἄνδρα καὶ τοὺς ἄλλους νουθετεῖν εἰδότα ποιεῖσθαι λόγους οἷς χρὴ τοὺς μὴ εἰδότας σωφρονεῖν παιδεύειν.* Paulo gravius erratum esse videtur in ep. ad S. P. Q. Atheniens. p. 280 A.: nam, quae ibi leguntur: *ἐπέστειλεν αὐτὸ πρός με πράττειν κελεύσας*, nemo facile explicaverit. Commemorat Julianus pecuniam a Florentio barbaris numeratam: idem ut faceret Constantium sibi suasisse addit. De sententia non potest dubitari: ut insit ea in Juliani verbis, una voce transposita et addito articulo, ita scribendum videtur: *ἐπέστειλεν πρός με τὸ αὐτὸ πράττειν κελεύσας.*

Integra quattuor verborum series transponenda est, si recte video, in ep. XXXVI. p. 411 C. Editiones haec habent: *πολλή τις ἦν πάνυ καὶ μεγάλη βιβλιοθήκη Γεωργίου παντοδαπῶν μὲν φιλοσόφων πολλῶν δὲ ὑπομνηματογράφων, οὐκ ἐλάχιστα δ'ἐν αὐτοῖς καὶ τὰ τῶν Γαλιλαίων πολλὰ καὶ παντοδαπὰ βιβλία.* Vulgata lectio ita tantummodo defendi potest, ut totam sententiam *οὐκ ἐλάχιστα — Γαλιλαίων*, uncinis circumscriptam, a ceteris segungamus; neque tamen probabilis videtur haec ratio. Aut enim e praecedentibus aliquid repetendum est, quo *αὐτοῖς* referatur, aut e sequentibus demum lucem accipit pronomen. Neutrum verisimile est, praesertim quum rarissimae sint apud Julianum contortae ejusmodi sententiae. Mihi Julianus pro singulari, quo est, oppositionum amore ita

videtur scripsisse: πολλή τις ἦν πάνυ καὶ μεγάλη βιβλιοθήκη Γεωργίου, παντοδαπῶν μὲν φιλοσόφων πολλῶν δὲ ὑπομνηματογράφων πολλὰ καὶ παντοδαπὰ βιβλία, οὐκ ἐλάχιστα δ' ἐν αὐτοῖς καὶ τὰ τῶν Γαλιλαίων. Simili transpositione opus est in Misopog. p. 344 C. Narrat Julianus, se Antiochiae, quum templum ingrederetur, plausu et clamoribus civium exceptum esse. Quem morem, theatris aptiorem, acriter se vituperasse, et hoc loco ostendit et alibi (cf. Heyler. p. 482.) In hac joculari oratione ipse sibi moderationem vitio vertens, ita se alloquitur: Τί οὖν οὐκ ἀγαπᾷς οὐδ' ἐπαινεῖς, ἀλλ' ἐπιχειρεῖς εἶναι σοφώτερος τὰ τοιαῦτα τοῦ Πυθίου καὶ δημηγορεῖς ἐν τῷ πλήθει καὶ καθάπτῃ τῶν βοώντων πικρῶς αὐτὸ δὴ τοῦτο λέγων τὸ ποιούμενον ὑπ' αὐτῶν, ὡς ὑμεῖς τῶν θεῶν ἕνεκεν sqq. Quum ipsa Juliani verba inde ab ὡς afferantur, sine dubio antecedentia αὐτὸ δὴ τοῦτο λέγων ad ea referenda sunt. Quod si statuimus, verba τὸ ποιούμενον ὑπ' αὐτῶν extra orationis nexum posita, dirimunt, quae debent conjungi. Hinc ejecta, post ἐπαινεῖς, ni fallor, collocanda sunt. Olim unius cod. auctoritatem secutus ἄλλων recipiendum duxi et cetera ita mutavi: αὐτὸ δὴ τοῦτο ψέγων τὸ ἐπαινούμενον ὑπ' ἄλλων: sed quum ipsa Juliani verba sequantur, non dubito, quin altera illa ratio praeferenda sit. Permira unius cod. lectio ansam praebet emendandi in ep. IX p. 377 D. 78 A. ἄλλοι μὲν ἵππων ἄλλοι δὲ ὀρνέων ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν, ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Haec editionum lectio quomodo defendi possit, non video. Nam, quod quidam censuit, (cf. Heyl. p. 196) θηρία canes esse venaticos, nemo

persuaderi sibi patietur, quum hic usus, communi contrarius, exemplis nitatur nullis. Facilis est conjectura, Julianum equos tantummodo commemorasse et aves, librarium aliquem, quum, quae singula proposuerat scriptor, una notione comprehendere studeret, in margine scripsisse ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν, idque postea in textum irrepsisse. Mihi quoque olim placuit. Sed longe certiorem emendandi rationem bonus ille cod. A. ostendit. Hic enim haec exhibet: ἄλλοι ἄλλων ἵππων ἄλλοι ἄλλων ὀρνέων ἄλλοι δὲ θηρίων ἐρῶσιν, e quibus, si ἄλλων, ubi ferri non potest, deleatur, ponatur, ubi necessarium videtur, facillime haec effici possunt: ἄλλοι μὲν ἵππων ἄλλοι δ' ὀρνέων ἄλλοι δ' ἄλλων θηρίων ἐρῶσιν, ἐμοὶ δέ sqq. Theodori Döhneri, Plutarchearum quaestionum editoris,*) non mea est conjectura.

Duorum verborum, quorum similis est significatio, transpositionem, quam frequentissimam dicit Hermannus (l. l. p. 104.), deprehendi in ep. ad S. P. Q. Atheniens. p. 281 D. 82 A., qui locus duabus eget emendationibus. Nam quum e codd. haec edita essent: κατανοήσας δὲ πρὸς τὸ διάφορον τοῦ τρόπου καὶ βλέπων τῷ μὲν ἄγειν αὐτὸν πιστεύοντα τῷ δὲ οὐδ' ὅλως προςέχοντα, Petavius adeo de eorum salute desperavit, ut ne interpretationem quidem addere conaretur. Audacior fuit Spanhemius, sed parum feliciter lacunam a decessore relictam explevit. Ego certe non video, quomodo ἄγειν αὐτὸν πιστεύοντα explicari possit per „illum quidem a quo regeretur fidentem.“ Er-

---

*) Lips. 1840. 8.

ror latet in codd., sed facile emendari potest, dummodo memores simus, permutari haud raro in codd. litteras α et ει.*) Scribendum est: τῷ μὲν ἄγαν αὐτὸν πιστεύοντα τῷ δὲ οὐδ᾽ ὅλως προσέχοντα. Uno vitio sublato, restat illud, de quo supra monui. Participia enim βλέπων et κατανοήσας ita permutanda sunt, ut alterum in alterius loco ponatur. Arguit id praepositio πρός, quae cum βλέπειν saepissime conjungitur, cum κατανοεῖν numquam.

Finem facio scribendo, non quin plura etiam supersint emendanda, sed memor illius:

τῇ χειρὶ σπείρειν μηδ᾽ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.

Hoc unum peto e VV. DD., ut, si forte unam vel alteram ex his emendationibus occupatam invenerint ab aliis, inscitiae repetitionem tribuant, non fraudi: toties enim in philologorum commentariis laudatus est Julianus et emendatus, ut numquam certus esse possis, te omnia collegisse.

---

*) cf. Bast. comment. palaeogr. p. 706.

V I T A.

Natus ego sum, Joannes Horkel, Berolini a. d. XVI. m. Sept. a. h. s. XX., fidei addictus evangelicae. Parentes veneror superstites, patrem Joannem, Med. D. et Professorem in hac Universitate publ. ord., matrem Annam e gente Schleiden. Septem annorum puer inter gymnasii Friderici Guilelmi discipulos receptus per decem deinceps annos, auspiciis meritissimi viri Aug. Spillekii, cujus nuperam mortem nondum eluximus, ad altiora me praeparavi. Maturitatis testimonio instructus a. XXXVIII almam hanc academiam adii et a rect. magn. A. Böckhio civibus academicis adscriptus nomen dedi apud ordinis philosophorum decanum m. spect. v. d. Hagen. Ex illo inde tempore per biennium Böckhii, Bekkeri, Lachmanni, Zumptii, Ritteri, Rankii, de Savigny scholis et seminarii philologici exercitationibus

interfui. A. XL Lipsiam me contuli et a Godofredo Hermanno in societatem Graecam receptus per annum scholas frequentavi philologicas Hermanni, Hauptii, Beckeri. Societatis Latinae socium Hauptius me creavit. Redux Berolinum inde ab initio aestivi studiorum curriculi Trendelenburgii scholis philosophicis operam dedi.

THESES.

1) *Distinguendum est inter mythologiam et mythographiam.*
2) *Recte judicavit Jos. Scaliger: philologos plerumque non emergere „nisi habeant animum non pedanticum."*
3) *Periculosum est Ruhnkenii consilium, sequioris aevi scriptores, quatenus imitentur veteres, ex his emendandos esse.*
4) *Veteris ecclesiae scriptores non ad dogmata confirmanda, sed ad fidem confirmandam legendi sunt.*
5) *Praecepta neminem efficiunt criticum.*
6) *Historia philologiae non sejungenda est a studiis philologicis.*